

A. G. Ellis

Brit: Mus:

Mar. 20 '83

ANALECTA

ARABICA

EDIDIT

LATINE VERTIT ET ILLVSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER

THEOL. D. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

PARS PRIMA.

LIPSIAE

SVMTIBVS IO. AMBROS. BARTHII,

MDCCCXXV.

INSTITVTIONES
IVRIS MOHAMMEDANI

CIRCA

BELLVM CONTRA EOS

QVI AB ISLAMO SVNT ALIENI.

E

DVOBVS AL-CODVRII CODICIBVS

NVNC PRIMVM

ARABICE EDIDIT, LATINE VERTIT, GLOSSARIVM ADIECIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER

THEOL. D. LL. OO. IN UNIV. LIPS. P. O.

LIPSIAE

SVMTIBVS IO. AMBROS. BARTHII,

MDCCCXXV.


LIBRARY
1972
OF TORONTO

L E C T O R I

S.

In tanta, qui Iuris scientiam e disciplina Mohammedis sectatorum tradunt, librorum Arabicorum multitudine, Codurii opus, cuius specimen nunc primum edimus, inter primos locum tenet, plurimumque apud suos auctoritatis habet. De auctoris vita, fatisque nil dicere habeo, nisi pauca haec, quae in Annalibus ABULFEDA refert[1]): „Anno CCCCXXVIII (MXXXVI aerae

1) T. III. p. 92 ed. Reisk. Adler. فى سنة ثمان وعشرين واربعماية توفى ابو الحسين احمد بن محمد بن حمد القدورى الحنفى ولد سنة اثنين وستين وثلثماية انتهت اليه رياسة اصحاب ابى حنيفة بالعراق وارتفع

Christ.) obiit Abùl Hoscin Ahmed, filius Muhammedis, filii Hamedi, vulgo Codurensis appellatus, Nisaburae natus anno CCCLXII, vir magni ubique nominis,

---

جاهه وصنّف كتابه المسمى بالقدورى المشهور ونسبته الى القدور جمع قدر قال القاضى شمس الدين ابن حلكان ولا اعلم وجه نسبته اليها Omissum est in textu Arabico النيسابورى, quod in versione expressit Reiskius. Porro pro حمد Reiskius coniicit legendum حميد, vel potius حمدان, quod nomen exhibet Raud (روض الاخبار). In B. F. TYDEMAN *Conspectu operis Ibn Chalicani de vitis illustrium virorum* (Lugd. Bat. 1809. in quat.) p. 126 legitur: ابو الحسين احمد بن محمد الفقيه ببغداد الحنفى المعروف بالقُدورى ... Et in Nota: „Natus A. 362. obiit A. 428.“ HERBELOT in *Biblioth. Orient.* p. 230. edit. prim. haec habet: „CADURI, Surnom d'Ahmed Ben Mohammed, qui est l'Auteur d'un commentaire sur le livre nommé *Adab al Cadhi*, qu'il explique selon les sentimens d'Abu Hanifah. Il a composé aussi le livre intitulé *Magmà al Baharain*, qui a été abregé par Nassafi. Cet auteur mourut l'an de l'Hegire 438 (falso pro 428).“ Denique CAR. HAMILTON in *the Preliminary Discourse* ad Opus quod inscribitur: *The Hedaya, or Guide; a Commentary on the Mussulman Laws: translated by order of the Governor General and Council of Bengal* (IV Voll. in quat. Lond. 1791.), Vol. I. p. XXXVI. inter libros, quorum in *Hedaya* frequentius fit mentio, et nostrum recenset hisce verbis: „The Commentary of *Kadooree* (which is sometimes simply termed *Kadooree*) takes its title from the patronymic appellation of the author *Ahmed Bin Mohammed Kadooree.* It is a Commentary upon a previous work of *Aboo Yoosaf*, intitled *Adab al-Kazee*, or *duties of a magistrate*, and is considered as of high authority by the sect of *Haneefa.* It was published about A. H. 420; the place of is publication uncertain.“ De Vocali, qua prima nomi-

magnaeque suo tempore dignitatis, ut qui sectae suae per Iracam Raiisatum (i. e. munus ephori) adeptus est. Auctor hic est illius celeberrimi libri, qui, cognominis patri suo, vulgo usurpatur Coduricus; derivatum id nomen est a plurali *Codur*, vocis singularis *Kidr* (h. e. olla). Negat tamen Cadi Schams-ed-din Ibn. Chalican rationem huius appellationis nosse." Huius igitur celebris Antecessoris libri, nostratibus adhuc vix nomine cogniti, codices duos bibliothecae Regiae Dresdensis [2]), pro sua humanitate et bonas literas promovendi studio, mihi utendos benignissime concessit BEIGELIUS, Vir Illustris, qui ipse auctor mihi suasorque exstitit, ut eam libri partem, quae de debellandis iis, qui a Mohammedana secta alieni sunt, praecepta tradit, in publicam lucem proferrem. Ego vero peritissimo adhortatori eo lubentius sum obsequutus, quo

---

nis قدوری litera sit animanda, dissentiunt codices, aliis *Fatha* aliis *Dhamma* exhibentibus.

2) No. 27 olim, nunc 152, finitus prima die mensis Muharrem anni 1032 (1622), 8vo oblong., et Num. 126 olim, nunc 157, finitus die 20 mensis Muharrem, anni 1052 (1642), 4to. Quorum codicum priorem „bonae notae" esse dicit REISKIUS in Catalogo CXXXV. Mss. Orientali biblioth. Reg. Dresd. in *den Memorabilien* a S. V. Paulo editt. P. IV. p. 7.

certius intelligerem, contineri ea, quam diximus, libri Coduriani parte non tantum talia, quae proprie ad bellum spectant, verum omnino totum ius belli et pacis Mohammedanorum, esseque illam tum ad historiam, tum ad politicam Mohammedorum propius cognoscendam haud exiguae utilitatis. Discimus enim inde, quam primi post Mohammedem Arabum Imperatores in aggrediendis subiugandisque populis inierint rationem, et quos armis subegerunt et in suam redegerunt ditionem, quomodo tractarint. Ea vero, quam primi illi Imperatores instituerunt, via, qui eos sequuti sunt, perrexerunt, necdum, quae Codurius tradidit leges, sunt abrogatae. Atque eae quidem inter nos haud plane incognitae erant; praesertim ADR. RELANDUS plura de iuribus, quae sibi observanda esse ducunt Mohammedani, quando cum Christianis et aliis religionis suae hostibus iis res est, docte et dilucide exposuit [3]). Neque tamen propterea hanc nostram ope-

---

3) In Dissertatione *de Iure militari Mohammedanorum contra Christianos bellum gerentium*, in *Dissertatt. Miscellanear.* P. III. p. 1 seqq. Fontem quod attinet, unde sua hauserit Relandus, de eo nil dicit, nisi „esse codicem manu scriptum, in quem inciderit, qui ordine concinno praecipua, quae ad hanc materiam illustrandam faciebant, maxime juxta mentem Iurisconsultorum Indorum et Per-

ram a peritis harum rerum arbitris supervacaneam iudicari vereor, quum Arabice haec nondum sint edita.

---

sarum, complectebatur." Quanam vero lingua sit conscriptus, quis libri auctor, quaenam eius epigraphe, quo tempore et loco sit editus, siluit. Mirum, pro جزية *tributum* in Dissertatione Relandiana constanter exhiberi جاجة (p. 14. latinis literis *Sjesje*) quae est vox nihili. In opere *Hedaya* dicto (vid. supra Not. 1.) leges quae bellum, quod vocant sacrum, spectant, tradit Liber *nonus* inscriptus: *Al-Seyir or the Institutes*, Vol. II. p. 139 seqq. Easdem illas ex opere, cui epigraphe *Multeka el-ebhar*, i. e. Confluxus marium, excerptas dedit IOSEPH. DE HAMMER, in libro cui titulum fecit: *Des Osmanischen Reichs Staatsverfassung und Staatsverwaltung* (Wien, 1815) P. I. p. 162 seqq. Quem novem annis prius ab eodem Viro Illustri e Turcico sermone in nostrum conversum edidit IOA. DE MÜLLER libellus, ita inscriptus: *Die Posaune des heiligen Kriegs aus dem Munde Mohammed('s) Sohns Abdallah des Propheten*, Leipz. 1806 in octon., non tam leges continet, quam adhortationes ore propagatas, quibus ad strenue debellandos a se alienos incitavit Mohammedes et inflammavit suorum animos. Duobus postremis libri Capitibus victoriae recensentur, quas et ipse Mohammedes, et plures suae sectae principes de Christianis aliisque sibi adversariis reportarunt (usque ad finem Seculi XIII nostrae aerae), atque nomina eorum, qui pro Mohammede et sua causa animose et fortiter in proeliis pugnarunt. Quaedam denique, quae ad bella Mohammedanorum cum Christianis spectant tradit libellus hac insignitus epigraphe: *Iuris circa Christianos Muhammedici particulae. E codicibus Moslemorum eruit et publicae disquisitioni exposuit* IO. HENR. CALLENBERG, Philos. Prof. Extraord., *Respondentis munus obeunte* LUDOV. CHRIST. VOCKERODT, Gothano, Theol. Cultore et Paedag. Reg. Collega, Halae

Nec deesse speramus, quibus gratum fuerit, se fontem iam ipsum adire posse, nec necesse habere interpretibus fidere. Textum Arabicum ex duobus, quorum nobis facta erat copia, codicibus inter se collatis, omni qua potuimus fide et diligentia describi curavimus, notisque vocalibus instruximus, et Versus, sive paragraphos, in textu Arabico signo ـں primis vocibus imposito notatos, numeris distinximus. Praeterea, quum hic libellus ob styli Arabici simplicitatem et puritatem apprime idoneus sit, in quo legendo sese exerceant linguae Arabicae studiosi ii, qui primis elementis egressi sua ipsi industria paullatim maiorem paratioremque Arabici sermonis copiam sibi acquirere cupiunt, ut in tanta lexicorum Arabicorum, quae facile comparari possint, penuria illorum commodis inservirem, adieci omnium quae in textu Arabico reperiuntur, vocabulorum Indicem, cum eorum interpretatione Latina.

Magdeburg. 1729, in quatern. Usus est Callenberg potissimum codice Arabico Ms. bibliothecae orphanotrophei Halensis, qui continet *Abu Leithi* (ابو ليث), Iuris Consulti Hanefitici, *Thesaurum Iurisprudentiae* (خزانة الفقه). De auctore eius operis vid. Herbelot *Biblioth. Orient.* sub *Abulaith*, et quae addiderunt Reiskius et H. A. Schultens, in Vol. IV. operis Herbelotiani Hagae Comit. 1777. in quatern. editi.

Quae Codurii libello subiuncta sunt e SEIID ALI, Hamadanensis, *Thesauro regum*[4]) excerpta, reperi in codicis 27 (nunc 152) folio 185 verso ad marginem adscripta. Consentiunt maximam partem cum iis, quae OCKLEY in *Historia Saracenica* P. 1. p. 268 vers. teuton. ex auctoris Arabici anonymi *Historia Terrae Sanctae* (Ms. Pocock. no. 362) attulit[5]); plane vero sunt contraria commenticiis illis Mohammedem inter et Christianae fidei cultores conditis pactionibus, quae sub nomine *Testamenti Mohammedis* circumferuntur[6]), quas vero, diligenti instituto examine, minime genuinas, sed spurias confictasque esse, rationibus et plu-

4) Vid. de hoc libro HERBELOT *Biblioth. Orient.* s. v. *Dhekirat almoluk.* Quod vero ibi auctor anno 78 aerae Mohammed. mortuus legitur, dubio procul typothetae errori debetur.

5) Eadem illa, quae Christianis in ditione Mohammedanorum habitantibus observanda praescripsit Omarus, nonnullis praeceptis additis, retulit DE HAMMER in libro supra not. 3 laud. *des Osman. Reichs Staatsverfass.* P. I. p. 183 seqq., qui et p. 185. testatur, pleraque illorum praeceptorum etiamnum observari.

6) Editum est Parisiis 1630. in quat., Lugd. Batav. 1655 a Io. Georg. Nisselio, et Hamburgi 1690 ab Abr. Hinckelmann; vid. C. F. SCHNURRERI *Biblioth. Arab.* p. 443.

ribus et certis demonstravit Th. Chr. Tychsen, Vir Illustris, in Commentatione, *qua disquiritur, quatenus Mohammedes aliarum religionum sectatores toleraverit*, rel., quae legitur in *Commentatt. Societ. Reg. Goetting.* Vol. XV. 1804. p. 152 seqq.

Dabam Lipsiae d. XII. Octob. MDCCCXXIII.

INSTITVTIONES

IVRIS MOHAMMEDANI

CIRCA BELLVM CVM IIS QVI AB ISLAMO SVNT ALIENI.

I. Bellum contra eos qui ab Islamo sunt alieni est tale a Deo iniunctum officium, cui vicario modo satis fit. Quodsi pars Moslimorum illud implet, non tenentur reliqui; si vero ne unus quidem, illius neglectu crimini sunt obnoxii omnes. Oppugnare infideles oportet, etiamsi nos non primi sint aggressi.

II. Non tenentur ad bellum sacrum proficisci infantes, servi, feminae, caeci, claudi, manibus truncati. Si vero hostis in terram Mohammedanam irruit, ad eum propulsandum omnes Moslimi surgere debent. Tunc egrediatur uxor sine permissu mariti, et servus sine permissu domini.

III. Quando Moslimi ingrediuntur terram hostilem, urbemque aut arcem obsidione cingunt, invitent incolas ad Isla-

mum amplectendum. Si annuant, abstineant Moslimi ab iis debellandis; si vero recusent, ad tributum persolvendum illos vocent; quod quum solvunt, eadem iis, quae Moslimis, esto securitas, et quae Moslimi, eadem praestent illi.

IV. Haud licet debellare eos ad quos non prius invitatio ad Islamum pervenit, nisi postquam invitati fuerint.

V. Laudabile est, eos, ad quos invitatio ad Islamum prius venit, cui vero non annuerunt, iterum invitare. Si vero et tunc recusent, Moslemi, implorato contra eos divino auxilio, bellum iis inferant, impugnent eos instrumentis bellicis, comburant domos eorum, aquarum inundationes iis immittant, et corrumpant sata eorum.

VI. Non est criminosum Muslemis sagittas iaculari in hostes, etsi in iis sit captivus aut mercator Muslemus, aut si illi infantibus aut captivis Muslemis pro scutis utuntur; non abstineant propterea ab emittendis in illos telis, sed progrediantur tela in hostes iaculantes.

VII. Non est criminosum Muslemis, uxores et Corani exempla secum in expeditionem ducere, si exercitus satis fit fortis, ut illis securitatem praestare possit; in reprehensionem vero incurrunt, si illa secum ducunt cum turma, quae non sufficit ad securitatem iis praestandam. Non licet mulieri pugnare sine mariti permissu, neque servo sine permissu domini, nisi irruat hostis in terram Moslimicam.

VIII. Non decet Moslimos datam fidem fallere, aut dolose agere, aut homines mutilare, aut mulieres, senes, decrepitos, infantes, coecos, claudos, occidere, nisi unus aut alter horum consiliis suis bellum iuverit, aut mulier sit regina. Neque occidere licet insanos.

IX. Si Imamo *) visum fuerit pacem facere cum hostibus, aut cum parte eorum, idque rationibus Moslimorum conducat; non est reprehendendus. Quodsi pacem cum iis fecerit ad certum temporis spatium, tum vero intellexerit, esse e re Moslimorum, pactum rumpere; id illis renunciet, et renovet bellum. Si autem primi dolo malo ruperint pactum, redintegret bellum, nulla prius renunciatione illis facta. Quod tamen tunc tantum fiat, si communi consensu pacem fregerint.

X. Quodsi servi hostium ad exercitum Moslimorum transeant, liberi sunto.

XI. Non est criminosum, si milites Moslimi in terra hostili pabulantur, et quidquid eduliorum inveniunt, comedunt, aut lignum oleumve in suos usus convertunt, et cum armis, quae reperiunt, pugnant, et id omne quidem nulla praedae partitione facta. Neque vero de illis quidquam vendere aut commutare licet.

XII. Si quis ex hostibus Islamum amplectitur, securitatem hoc ipso obtinet pro se, pro infantibus suis minorennibus, et pro omnibus suis opibus, sive sint in manu sua, sive in manu Moslimi aut tributarii depositae.

---

*) Nomen Arabicum *Imam* denotat proprie *antecessorem*, quem alii sectautur ac imitantur, peculiariter qui praeit populo sacros ritus, Sacrorum antistitem. In hoc vero Tractatu per Imamum intelligitur ille, qui summa cum auctoritate toti populo praeest tam in rebus sacris, quam in civilibus et politicis, ut Imperator Osmanorum. Apud Mohammedanos enim illae dignitates in unam personam collatae sunt; quare dicere solent, Prophetam suum (Mohammedem) imitatum fuisse Mosen, qui et in rebus civilibus Israelitis praeerat et simul rationem cultus divini praescripsit, non Iesum, qui regnum suum non esse huius mundi confessus est. Vid. Muradgea d'Ohsson *Descript. Imper. Osman.* P. I. p. 144. vers. germ.

XIII. Cum regione hostili potimur, fundi eius, uxores cum foetibus, et liberi adulti tanquam praeda aerario publico addicuntur.

XIV. Non licet ab hostibus arma coëmere, aut eos illis instruere.

XV. Secundum Abu-Hanifa *), cui Deus sit propitius! haud licet captivos commutando redimere. Sed Abu-Ioseph et Mohammed **), quibus Deus sit propitius! captivos Moslimos commutando redimere permittunt; neque vero benignitas erga illos modum excedat.

XVI. Quando Imamus regionem vi armorum in potestatem suam redigit, potest eam pro arbitrio vel inter milites dividere, vel incolis possidendam relinquere, quibus tunc tributum imponat. Quodque captivos attinet, potest eos pro lubitu occidere, aut servos capere, aut liberos dimittere, ita tamen, ut eos Moslimis tributarios reddat.

XVII. Non licet captivos in terram hostilem remittere. Cum Imamus e terra hostili in terram Moslimicam est rediturus, habetque secum iumenta aliaque impedimenta, quae domum transportare nequit; illa occidantur aut comburantur,

---

*) Hic est pater unius de quatuor sectarum orthodoxarum inter Mohammedanos, quae inter se differunt de conclusionibus legalibus et dubiis sub disquisitionem cadentibus. Vid. de illo Ed. Pocockii *Specim. Hist. Arab.* p. 25. et 291. edit. sec. Oxon. 1806., et Car. Hamilton *Discurs. praeliminar. ad Hedaya* (vid. Praefat.) Vol. I. p. XXIII. Vid. et Muradgea d'Ohsson *Descript. Imperii Osmanici.* P. I. p. 20. vers. german.

**) Iurisconsulti magnae inter Mohammedanos auctoritatis, qui secundo aerae Mohammedanae seculo vixere. Vid. de iis plura apud Hamiltonum l. l. p. XXXIII.

neque vero ea licet mutilare aut relinquere. Praedam non dividat in terra hostili, nec antequam in terram Moslimicam redierit. In praedae distributione auxiliares et exercitus aequas partes accipiunt.

XVIII. Si Moslemis sese iungunt auxiliares copiae in terra hostili antequam praeda in terram Moslemicam ducatur, eius sunt participes aeque atque illi. Iis qui exercitum sequuntur, nisi pugnaverint, praedae pars non debetur.

XIX. Quodsi vir liber, aut femina libera, ei qui non est Moslimus, aut singulo, aut agmini, aut praesidiis arcis urbisve alicuius securitatem promiserit; servanda est promissa securitas, nec licet ulli Moslimorum illos occidere, nisi illa sit damnosa; et tunc Imamus illam irritam declaret.

XX. Non licet tributario, aut captivo, aut mercatori, qui ad illos pervenerit, securitatem promittere. Neque licet servo, secundum Abu-Hanifa, et Abu-Ioseph, quibus Deus sit propitius! nisi herus illius ipsi pugnare permiserit. Mohammed vero, cuius Deus misereatur! securitatem a servo promissam valere statuit.

XXI. Cum Turcae in terram Romanorum (Graecorum)*) incursionem faciunt, et ex illis captivos abducunt, eorumque opes capiunt, cedunt in eorum possessionem; quodsi vero nos postea Turcis potiamur, nobis cedit, quidquid illorum invenimus. Si autem illi nostris opibus potiantur easque in

*) Nomine *Rum* intelliguntur Graeci, Imperatoribus qui Constantinopoli sedem habuere, subditi. Abulfedae *Er-Rum* est ille terrarum tractus, qui Graecis ἡ *Ανατολὴ*, unde *Natolia,* nobis vulgo *Turcia Asiatica* dicitur. Cf. A. Schultensii *Ind. Geograph.* ad Vitam Saladini a se edit. voc. *Rum*, et *Rumiaeorum Provinciae.*

sua terra asservant, iure eas possident. Ea terra si postea potiantur Moslimi, reperiantque illas ante praedae divisionem, redeunt ad possessores priores absque ulla, quae ab iis praestanda sit, compensatione. Si autem possessores priores sua reperiunt post factam praedae divisionem, possunt ea, si ipsis libuerit, pro pretio ab ipsis solvendo capere. Quando mercator in terra hostili emerit tale quid (quod prius Moslimus possederit), afferatque in terram Moslimorum; ille qui prius possedit potest pro lubitu sibi sumere, soluto mercatori pretio eo, quo illud emit, aut ipsi relinquere.

XXII. Quando hostes aliqua nostrarum terrarum vi armorum potiuntur; non fiunt domini manumissorum nostrorum, uxorumque nostrarum, liberorum nostrorum eorumque qui se ipsi redemerunt; nos vero si illos vicerimus illorum omnium domini evadimus.

XXIII. Quando aufugit servus Moslimus ad hostes, iique eum capiunt, non habent ius dominii in eum, secundum Abu-Hanifa, cuius misereatur Deus! Verum e duorum discipulorum sententia habent ius dominii in eum. Si autem iumentum ad hostes aufugerit et ab iis capitur, iure illud possident.

XXIV. Quando Imamo non suppetunt iumenta, quibus praeda avehatur, dividat eam inter milites in modum depositi, ut illam in terram Moslimicam vehant; tum illam ab iis recipiat et distribuat.

XXV. Non licet de praeda quidquam vendere ante eius distributionem. Qui ex militibus in terra hostili moritur, non habet ius in praedam; si vero quis moritur, postquam praeda in terram Moslimicam advecta est, haeredibus eius praedae portio debetur.

XXVI. Non est improbandum, si Imamus fervente proelio militibus donum extraordinarium de praeda assignet, ut eos ad pugnandum incitet, et edicat: quicunque hostem occiderit, ei sunto eius spolia. Vel dicat cohorti: assigno vobis quartam praedae partem, deducta parte quinta. Non vero assignet dona extraordinaria postquam praeda in terram Moslimicam advecta fuerit, nisi de quinta parte.

XXVII. Si militibus pugnantibus (Imamus) spolia non assignet, pertinent ad praedam in universnm, e qua milites et alii aequales partes accipiunt.

XXVIII. Spolia sunt quidquid occisus vestium, armorum curruumque secum habuerit.

XXIX. Cum Moslimi terram hostilem relinquunt, haud licet iumentis de praeda pabulum praebere, neque ipsis de eadem comedere licet.

XXX. Si apud aliquem superfuerit (de praeda) pabuli aut eduliorum quidquam, id reddere debet ad reliquam praedam.

XXXI. In dividenda praeda Imamo hoc est observandum, ut seposita prius quinta eius parte, partes quatuor reliquas inter milites, qui praedam fecerunt, distribuat. Atque equiti quidem portionem duplicem, pediti vero unam tantum impertiendam esse, statuit Abu-Hanifa. Verum ex Abu-Iosephi et Mohammedis, quorum Deus misereatur! sententia, equiti triplex portio, et pediti unica debetur. Sed equiti nonnisi pro uno equo sors assignatur; et pares reputantur equi viliores et nobiliores. Pro camelo autem vel mulo sors nulla assignatur.

XXXII. Si quis terram hostilem eques ingressus fuerit, equum autem suum amittat; ei portio equitis debetur. Qui vero pedes fuerit terram hostilem ingressus, et postea equum sibi comparaverit, ei sors peditis debetur.

XXXIII. Servis, feminis, tributariis et infantibus praedae sors assignatur nulla. Attamen licet iis aliquid dono dari, quantum quidem Imamo visum fuerit.

XXXIV. Quintam praedae partem quod attinet, dividatur ea in tres partes aequales, quarum prima iis qui parentibus sunt orbati, secunda pauperibus, tertia peregrinatoribus sublevandis est destinanda. Iis accensentur pauperes e familia prophetae, qui reliquis sunt praeferendi; eorum vero ditioribus nihil detur. Quodque attinet ad mentionem Dei in praecepto de quinta praedae parte, inservit illa tantum modo auspicando sermoni benedicendo per nomen eius *). Portio prophetae, cui sit salus! morte eius cessavit; quod ipsum valet de ea praedae parte, quam propheta, tanquam dux exercitus,

---

*) Praeceptum illud exstat in Corano VIII, 42., et his verbis est conceptum: *Cum praedam feceritis* (in bello), *scitote, quintam eius partem deberi Deo, et legato* (eius) *eiusque cognatis, orphanis, pauperibus, et peregrinatoribus.* Quibus verbis quum videri possit assignari et Deo ipsi praedae portionem, monetur hic, dictionem لِلّٰهِ praemissam esse tantummodo tanquam benedicendi formulam; vel, omnem illam quintam praedae partem, inter legatum Dei, s. Mohammedem, eiusque cognatos, orphanos, pauperes et peregrinatores distribuendam, pro portione Deo sacra esse habendam. Quae quum ita sint, و τῷ لِلرَّسُولِ praefixum valebit *videlicet*, ut vertendum sit: *quintam eius partem deberi Deo*, videlicet *legato eius*, et quae deinceps sequuntur.

sibi delegit (ante distributionem). Atque cognati quidem prophetae, cui sit salus! qui cum ipso viverent, praedae partem meriti sunt ob auxilium, quod ipsi praestiterunt, qui autem post eum, ob paupertatem.

XXXV. Si unus et alter in terram hostilem praedatum irruunt sine permissu Imami, et quidquam inde secum abducunt, quinta pars de eo non capitur. Si vero agmen armis instructum incursionem facit, et aliquid secum asportat, solvenda est quinta pars, etiamsi Imamus potestatem illi non fecerit.

XXXVI. Si quis Moslimus mercator ingrediatur terram hostilem (i. e. talem, quam non Moslimi tenent), haud licet ei incolarum opibus aut vitae damni quidquam inferre; si vero iis per fraudem quidquam abstulerit, fit quidem ipsi proprium; sed iubeatur illud stipitem erogare in pauperes.

XXXVII. Si quis peregrinus, qui non est Moslimus, ad nos veniat, securitatem et protectionem implorans, haud licet ei integrum annum in ditione nostra commorari, quin edicat ei Imamus, si integrum annum apud nos commoretur, imperandam ipsi esse capitis exactionem, quae, si maneat, ab eo est exigenda; tum fit tributarius in clientelam receptus; nec permittitur ei in ditionem hostilem redire. Si vero redierit, reliqueritque depositum apud Moslimum, aut tributarium in clientelam receptum, vel quod alii ipsi debent, tum, si redierit, sanguis eius sit cuiusque lubitui permissus; sua bona autem in ditione Moslimica relicta quod attinet, eorum sors pendet a sorte possesoris. Nam si in bello capitur aut occiditur, quae ipsi debentur exstincta sunt, deposita autem eius addicuntur fisco. Quodsi Moslimi non in bello bonis alienorum, qui non

sunt Moslimi, potiantur, impendenda sunt in publicam utilitatem Moslimorum, haud aliter atque tributum, seu reditus regni.

XXXVIII. Omnis Arabiae ager est decumanus. Protenditur autem Arabia inde ab aqua Odhaib *) usque ad fines Hedschrae in terra Yemen, et a Mahrah **) usque ad fines Syriae. Territorium Iracae Arabicae vero est tributarium: protenditur autem illa inde ab aqua Odhaib usque ad clivum Hholwanae ***), et inde ab Alatha usque ad Abbadan ****). Agri Iracae sunt possessiones incolarum, qui illos vendere, atque arbitrio et potestate libera in iis uti possunt.

XXXIX. Omnis terra, cuius incolae Islamismum amplectuntur, aut quae vi armata est occupata et inter milites distributa, est decumana. Quae vero expugnata incolis possidenda relinquitur, est tributaria.

XL. Si quis terram culturam nondum expertam colat, ea, secundum Abu-Iosephum, aestimatur e tractu vicino. Si igitur agri vicini sunt tributarii, fit talis et ipsa. Si autem agros decumanos sibi vicinos habet, fit et ipsa decumana,

---

*) Nomen loci in provincia Arabiae *Nedschd* (نَجْد), de quo Abulfeda in Descript. Arab. (in Rommelii Commentat. p. 82.) haec refert: „*Al-Odhaib*, quae est aqua, et quidem prima, quae occurrit in deserto homini tendenti a Cadesia ad Cufam, et volenti Meccam proficisci.“

**) Provincia Arabiae australioris, vid. Rommel. l. l. p. 32.

***) Urbs Babyloniae, s. Iracae Arabicae. Est extrema Iracae huius urbs in orientem borealem ultra Tigridem sita, unde ad montana Persiae confinia adscenditur.

****) Oppidum ad ostium Tigridis in mare Persicum se effundentis.

Ager Basrensis, eodem illo Abu-Iosepho referente, est decumanus consensu sociorum prophetae.

XLI. Mohammedes, cuius misereatur Deus! statuit, si quis terram quam nemo possidet, culturae aptam reddiderit puteo, quem foderit, aut fonte, quem in illam derivaverit, aut aquis Tigridis Euphratisve, vel alius maioris fluvii, esse eam decumanam; eam vero terram, quae culturae idonea reddita fuerit canalibus a Persis effossis, qualis est Regius et Iesdedscherdicus, esse tributariam.

XLII. Tributum, quod Omarus, cui Deus propitius sit! territorio Iracae Arabicae imposuit, tale est: Dscharib (i. e. ager qui CCCLXXXIV. modiis frumenti conseri potest), et aquâ irrigatur, pendet Cafisum Haschemicum, id est Saaum*), et Dirhemum**); Dscharib terrae pastioni aptae, quinque Dirhemos; Dscharib vineae aut palmeti, decem Dirhemos. Aliis fundis pro ratione proventus tributum imponitur. Si quis fundus solvendo tributo non par sit, imminuat illud Imamus.

XLIII. Si terra tributaria aquâ inundata aut imminuta fuerit, aut segetes eius noxâ aliquâ fuerint corruptae, possessor non tenetur tributum pendere. Si vero dominus eam colere neglexerit, solvendum est ei tributum.

---

*) *Saa* Lexica dicunt esse mensuram aridorum, quatuor modios continentem, qualium unus $1\frac{1}{3}$ libras pondere aequat. Varias de hac mensura sententias retulit Makrizi in libro *de legalibus Arabum ponderibus et mensuris*, quem edidit O. G. Tychsen Arabice Rostoch. 1800. 8. p. 24., et Gallice vertit Silvestre de Sacy (1802. 8.) p. 38 seqq.

**) Numus argenteus, quorum XX., subinde XXV., valebant Dinarum aureum unum.

XLIV. Cum quis tributarius Islamismum amplexus fuerit, exigatur ab eo et post idem tributum, quod antea solvit.

XLV. Licet Moslimo a tributario sub clientelam recepto fundum tributarium redimere, quo facto ab emtore tributum est pendendum. Decimae de proventu terrae tributariae non penduntur.

XLVI. Epicephalium, sive capitis exactio, duplicis est generis. Est, quae imponitur mutuo consensu et pactione, ubi et quantum sit pendendum conventione definitur.

XLVII. Aliud epicephalium est, quod prior imponit Imamus, cum infideles vicerit, eosque in suis possessionibus confirmaverit. Tunc imponat diviti, opibus conspicuo, XLVIII. Dirhemos per singulos annos, ita ut singulis mensibus quatuor Dirhemos solvat. Ei, cuius opes sunt mediocres, imponat XXIV. Dirhemos, de quibus singulis mensibus solvat duos. Pauper vero, qui operae faciundo vitam sustentat, pendat XII. Dirhemos, singulis mensibus unum.

XLVIII. Epicephalium imponatur Iudaeis et Christianis, Magis et idolorum cultoribus e barbaris; sed idolorum cultoribus inter Arabes non est imponendum, neque rebellibus.

XLIX. Epicephalium non est exigendum a feminis, neque ab infantibus, nec a mutilis, nec a coecis, nec a pauperibus, qui opus non faciunt, nec a monachis, qui hominibus sese haud immiscent (vitam solitariam degunt).

L. Si quis, qui epicephalium pendere tenetur, Islamismum amplectitur, illud protinus ei remittitur.

LI. Si quis duorum annorum epicephalia debet, illa coniunguntur ita, ut tantum unius anni epicephalium solvat.

LII. Haud licet (Christianis et Iudaeis) in ditione Moslimica nova templa aut novas synagogas condere. Si vero vetusta templa et synagogae corruant, illa restituere licet.

LIII. Tenentur tributarii in clientelam recepti a Moslimis sese distinguere in vestitu, in iumentis, in ephippiis, et pileis; neque equis vehi, neque arma gerere iis licet.

LIV. Si quis epicephalium solvere recusaverit, aut Moslimum occiderit, aut prophetam cui sit pax! verbis probrosis petiverit, aut cum Moslima scortatus fuerit, tali delicto pactum eius non rumpitur. Non irritum fit pactum, nisi in terra non Moslimica sedem figat, aut locum aliquem (quem Moslimi tenent) expugnet, et adversus nos bellum gerat.

LV. Si quis ab Islamo deficit, exponatur ei doctrina Islamica, et si in ea ipsi dubii aliquid sit, edoceatur, ipse vero triduum concludatur in carcere. Quodsi ad Islamum redierit bene est, si non, occidatur. Si quis talem, qui ab Islamo defecerit, occidat antequam doctrina Islamica ei exposita sit, magnopere quidem id est improbandum, neque tamen propterea adversus illum, qui eum occidit, est quidquam decernendum.

LVI. Mulier si ab Islamo defecerit, non occidatur, sed in carcere detineatur dum ad Islamum redierit.

LVII. Qui ab Islamo deficit, hoc ipso amittit opum suarum possessionem, quam tamen recuperat, si ad Islamum redierit.

LVIII. Cum aliquis, qui ab Islamo desciverit, talis moritur occiditurve, ea quae acquisivit dum Islamum professus est, transeunt ad haeredes suos Moslimicos. Illa vero quae

acquisivit, dum ab Islamo defecit, in aerarium publicum sunt transferenda.

LIX. Si aliquis qui ab Islamo descivit, in terra non Moslimica sedem figit, et iudex decrevit, illum infidelibus sese adiunxisse, liberi sunto servi eius, qui post mortem demum illius manumittendi fuissent, liberae item sunt matres liberorum eius, nec solvenda sunt, quae ipsi debentur. Quae vero acquisivit dum Islamo addictus fuit, transeunt ad haeredes suos Moslimicos. Aes alienum quod contraxit, dum Islamo addictus fuit, persolvendum est de eo, quod sibi acquisivit, dum Moslimus fuit; quod vero aeris alieni contraxit postquam defecit, solvendum est de eo, quod ab illo inde tempore sibi acquisivit.

LX. Cum quis aliquid emere, aut vendere, aut de suis opibus quidquam aliam in rem impendere instituerit, id, dum in defectione ab Islamo est, irritum manet. Cum vero ad Islamum redierit, omnia illa rata fiunt. Quodsi in terra non Moslimica moritur aut occiditur, pacta quae inivit, secundum Abu-Hanifa, sunt irrita. Si aliquis qui a fide defecit, postquam decretum fuerit, eum sese infidelibus adiunxisse, redeat Moslimus in terram Moslimicam, potest quae de suis opibus in manibus haeredum suorum invenit, sibi vindicare. Si femina, quae ab Islamo defecit, dum in defectione est, de suis opibus quidquam in certos usus impendi statuit, id ratum haberi potest.

LXI. Christiani tribus Tagleb pendant eleemosynae duplum, quod pendunt Moslimi, exigaturque quoque ab eorum mulieribus, sed non item ab infantibus. Quidquid tributi colligit Imamus, quodque de Taglebitis exigit, tum quae

ipsi peregrini, qui non sunt Moslimi, dona mittunt, atque epicephalium, impendere debet in publicas Moslimorum utilitates, in munienda igitur loca hostibus exposita, pontes aedificandos, in salaria sustentandis magistratibus, praefectis et viris doctis Moslimicis necessaria, in stipendia denique militibus eorumque posteris persolvenda.

LXII. Quodsi pars Moslimorum ab imperio deficiat, et provincia aliqua potiatur, invitet eos Imamus, ut redeant ad communitatem et societatem reliquorum civium, illosque ab errore monitis revocare studeat, neque priusquam illi primi pugnam inferant, dimicationem cum iis subeat. Tum vero ita cum iis pugnet, ut eorum catervas dissipet, atque si iis exercitus sit, [ad quem vulnerati ipsorum sese recipiant] hos statim trucidet et fugientes persequatur. Si autem illis non est exercitus, eorum vulneratos neque occidat, neque fugientes persequatur, neque liberos captivos abducat, neque opes eorum pro praeda auferat.

LXIII. Haud est nefas in pugnando cum illis eorum armis nos uti; si Moslimis ea opus sint.

LXIV. Opes eorum Imamus asservatas retineat, nec eos illis reddat, neque distribuat, dum resipiscant (ad obsequium redeant); tunc eas illis reddat.

LXV. Si rebelles in terra, quam occuparunt, tributum decimasque exegerunt, ea Imamus non exigat secunda vice. Quodsi rebelles vectigalia in legitimos usus impenderunt, qui illa solverunt debito suo satisfecisse sunt reputandi; sin minus, edoceat (Imamus) populum suum, quid Deo O. M. debeant.

E LIBRO

QVI INSRIBITVR

THESAVRVS REGVM,

AVCTORE

SEIID ALI HAMADANENSI

CVIVS SEPVLCHRVM SANCTVM HABEATVR.

Hae sunt conditiones, quas Omarus, cui Deus sitpropitius! in constitutione sua de iure tributariorum ipsis scripsit, ita ut, si illas fefellerint, vita et opes eorum promiscui iuris fiant.

Prima est, ne in terra Moslimica nova templa novasque synagogas erigant.

Secunda ne collapsa restituant.

Tertia, ne prohibeant Moslimos iter facientes, ut ad illa divertant (sive, illis pro diversoriis publicis utantur).

Quarta, ne detrectent Moslimos per triduum hospitio apud se recipere.

Quinta, ne res Moslimorum explorent, earumque statum infidelibus referant.

Sexta, ne si quis e propinquis eorum Islamismum amplecti velit, eum prohibeant.

Septima, ut Moslimos honorent.

Octava, ut Moslimis, tales si adsint, sedes suas concedant; sunt enim illorum sedes.

Nona, ne in vestitu et ornatu se Moslimis assimilent.

Decima, ne sibi nomina Moslimorum imponant.

Undecima, ne vehantur equis ephippiis instratis et frenatis.

Duodecima, ne arcus, sagittas, enses, et alia huiusmodi gerant.

Decima tertia, ne annulos signatorios gerant, quibus sint palae et sculpturae.

Decima quarta, ne vinum vendant, nec publice bibant.

Decima quinta, ne utantur vestitu idololatrarum.

Decima sexta, ne ostendant mores et consuetudines idololatrarum.

Decima septima, ne emant domos et aedes in vicinia Moslimorum.

Decima octava, ne mortuos suos prope sepulchra Moslimorum sepeliant.

Decima nona, ne ululatus tollant, si ipsis adversi quid accidat, nec palam ploratus faciant in funere propinquorum suorum.

Vicesima, ne emant servos Moslimos.

Addit in fine constitutionis, si unum alteramve illarum conditionum fefellerint, licere Moslimis eos necare, nullo, quo caedes redimatur, pretio ab illis exigendo.

GLOSSARIVM
ARABICO-LATINVM.

Signa et Notae compendiariae, quae in hoc Glossario passim occurrunt, explicatae sunt in limine Glossarii, quod Institutionibus nostris ad fundamenta linguae Arabicae est adiectum.

ا

أَبَقَ *Fut. A. et I.* Aufugit *servus.*

أَبُو حَنِيفَة Nom. propr. Antistitis, *unius ex IV, qui sectas instituerunt primarias Muhammedanismi;* vid. not. ad vers. latin. p. 4.

أَبُو يُوسُف Nom. propr. Iurisconsulti celebris, vid. not. ad vers. latin. p. 4.

أَبَى *Fut. A. et I.* Recusavit, noluit, detrectavit.

اِتِّفَاق vid. وَفَقَ.

أَثِمَ *Fut. A.* Iniquitatem commisit, culpam commeruit, peccavit.

أَحَدٌ Unus, unicus.

أَخَذَ *Fut. O.* Cepit, accepit, sumsit, prehendit, comprehendit, continuit.

آخِرٌ *Ag. Conj. I.* Posterior, postremus, extremus; postremum, finis.

أَدَآءٌ Solutio, praestatio; res quae persolvitur, penditur, *aut* quae debita praestatur. *R.* أَدَّى II. persolvit, praestitit quod debebat.

إِذَا Quum, si, *temporis futuri.*

أُذْنٌ Auris.

أَذِنَ et أَذَّنَ Aures praebuit, auribus captavit, audivit. أَذِنَ *et* permisit, veniam concessit, li-

citum fecit, إِذْنٌ permissio, venia, licentia.

أَسَرَ *Fut. I.* Ligavit, constrinxit; cepit captivum, et captivum abduxit. أَسِيرٌ Bello captus, *Collect.* أَسَارَى et أُسَارَى.

إِسْمٌ Nomen. *R.* سَمِيَ.

آفَةٌ vid. أوف.

أَكَلَ *Fut. O.* Edit, comedit.

أَمَّ *Fut. O.* Petivit, contendit aliquo; praeivit exemplo suo docuitque et praecepit quid faciendum, praefuit.

إِمَامٌ Praeses, praepositus, antecessor, vid. not. ad vers. latin. p. 3.

أَمَرَ *Fut. O.* Mandavit, jussit, praecepit.

أَمِنَ Fidit, confisus, nixus fuit; *cc* عَلَى.

أَمِنَ Securus tutusque, sine metu fuit. IV. آمَنَ securum tutumque reddidit, protexit, *cca;* *et* fidem habuit, credidit *illi in eo quod dixit*, *cc* عَلَى *p.* X. securitatem et protectionem imploravit.

أُمَّةٌ *Pl.* أُمَّهَاتٌ Mater.

إِنْسَانٌ Homo, vir et femina.

أَهْلٌ Populus, homines qui ad aliquem vel hominem vel locum, vel ad regimen, professionem et institutum aliquod pertinent. أَهْلُ الْحَرْبِ, أَهْلُ الْكِتَابِ, vid. in حرب et كتب.

أَوْ Sive, aut.

أَوِفَ *seu* أَيِفَ Noxam passus est.

آفَةٌ Noxa, damnum.

ب

بِئْرٌ, Puteus.

بَأْسٌ Strenuitas, fortitudo, audacia; *it.* vehementia, adversitas, malum, injuria.

بَدَأَ Incepit, exorsus fuit, primus et primum fecit; *cc* ب *r vel c. Fut.*, *et c a p.* VIII. coepit, exorsus fuit.

بَدَلَ Mutavit, permutavit, substituit. II. *id.*

بَذَلَ Munifice dedit, donavit, erogavit, pependit.

بِرْذَوْنٌ, *et* بِرْذَوْنٌ, *e Persico* برزون

equus Turcicus; *it.* quodvis iumentum, tam onerarium, quam quo quis vehitur.

بَرَّكَ V. Bene precatus est, laudavit.

بَصْرَةُ *Nom. propr. urbis Babyloniae*, Basra.

بَطَلَ *Fut. O.* Vanus, nihil, frustra et incassum fuit vel evasit.

بَعِيرٌ Iumentum omne onerarium, *speciat.* camelus asinusque.

بَغَى Modum transgressus fuit, a vero et iusto deflexit, insolens fuit; *it.* petiit, expetivit, quaesivit; VIII. expetitum quaesitumve fuit; *it.* convenit, decuit.

بَغْيٌ Insolentia, rebellio.

بَقِيَ *Fut. I.* Reliquus, superstes fuit.

بَاقٍ *pro* بَاقِيٌ *Plur.* بَاقِينَ Reliquus, superstes.

بَكَى *Fut. I.* Flevit, deflevit.

بَلَدَ Substitit, commoratus fuit *in loco.*

بَلَدٌ Pars terrae habitatae, provincia, urbs, oppidum.

بَلْدَةٌ Provincia, urbs, oppidum.

بَلَغَ *Fut. O.* Pervenit *ad aliquem.*

بَنَى *Fut. I.* Struxit, aedificavit, condidit.

بَاحَ *Fut. O.* Apparuit, manifestus fuit. IV. communis juris fecit *rem,* et *cujusque* voluntati permisit.

مُبَاحٌ Cujusque cupiditati permissa *res.*

بَاعَ *Fut. I.* Vendidit *et* emit.

بَيْعٌ Venditio.

بِيعَةٌ *Pl.* بِيَعٌ Templum Christianorum, ecclesia.

بَيْنٌ Separatio, distantia. بَيْنَ Inter, in medio.

ت

تَبِعَ *Fut. A.* Sequutus, insequutus, persequutus fuit. VIII. id.

تَجَرَ *Fut. O.* Mercaturam exercuit.

تَاجِرٌ Mercator.

تُرْسٌ Scutum, clypeus.

تَرَّسَ Clypeum induit. V. Scuto indutus tectusque fuit.

تَرَكَ Reliquit, missum fecit, sivit, intermisit *aliquid.* تَرْكٌ *Nom. act.*

تُرْكٌ *Plur.* أَتْرَاكٌ Turcae, gens inter Chorasmios et extremi Orientis Tataros.

تَعَالَى *vid.* علا.

تَغْلَبٌ Nom. propr. tribus Arabicae

تَمَّ *Fut. I.* Totus, integer, perfectus, absolutus fuit.

تَمَامٌ Complementum, integritas, finis.

تَابَ *Fut. O.* Resipuit, reversus conversusque fuit a peccatis *ad Deum.*

ث

ثَغَرَ *Fut. A.* Fissus fuit.

ثَغْرٌ *Pl.* ثُغُورٌ Fissura montis; *it.* locus regionis hostico proximus.

ثَمَنٌ Pretium.

ثَنَى *Fut. I.* Flexit, inflexit, duplicavit, iteravit, repetivit.

اِثْنَانِ Duo. ثَانٍ pro ثَانِيٌ Secundus; ثَانِيًا secunda vice.

ثَوْبٌ *Pl.* ثِيَابٌ Vestis, vestimentum; *fere* interior vestis.

ج

جَبَا *ultima* ى *et* و Congregavit; *it.* collegit *tributum.*

جَدَّ *Fut. I.* Novus fuit II. Renovavit, novum fecit.

جَرِيبٌ Mensura seu certa quantitas frumenti *et* terrae; *scil.* pondus 4 قفيز, seu 384 مُدّ modiorum; *it.* ager, qui tanta frumenti copia conseri potest.

جَرَحَ Vulneravit.

جَرِيحٌ Vulneratus.

جَرَى *Fut. I.* Fluxit, cucurrit.

جَارِيَةٌ Quod currit, in usu est, fieri solet.

جَزَا *Fut. O.* Subiugavit, subegit; *it.* pensavit, retribuit; *it.* satisfecit, suffecit; IV. suffecit.

جِزْيَةٌ Tributum, *peculiariter,* quod a Iudaeis et Christianis quotannis penditur; *quia est pro victis et corporum loco.* Cf. Ios. de Hammer *des Osman. Reichs Staatsverfass.* P. I. p. 212.

جَسَّ *Fut. O.* Tetigit, palpavit; *it.* palpitando inquisivit, et cognoscere instituit, *ut venam aegroti;* captavit exploravitque *nuncium ut explorator,* V. id.

جِسْرٌ *Pl.* جُسُورٌ Pons.

جَعَلَ *Fut. A.* Posuit, collocavit, constituit.

جَلَسَ Sedit, consedit, discubuit.

مَجْلِسٌ *Pl.* مَجَالِسُ Locus et tempus sedendi, sedes.

جَمَعَ Collegit, congregavit; IV. consensit, assensus fuit. VIII. Congregatus fuit, convenit eodem loco; *it.* convenit sententia quorundam, in eadem sententia fuit.

جَمْعٌ Turba, multitudo hominum.

جَمَاعَةٌ i. q. praeced.

جَمِيعٌ Collectus, congregatus; *it.* omnis, cunctus.

جُمْلَةٌ Summa, aggregatum rerum, universitas, omnis.

جَنَّ *Fut. O.* Texit. *Pass.* Daemone obsessus *et* insanus fuit ac furiosus.

مَجْنُونٌ Daemone obsessus, insanus, furens, maniacus.

جَهَدَ *Fut. A.* Diligentia ac studio usus fuit, laboravit. III. Certavit, bellum gessit, *peculiariter* contra infideles *ad proferenda religionis pomoeria.*

جِهَادٌ Certamen; *speciat.* cum hominibus a fide Mohammedana alienis; bellum sacrum.

جَهَزَ *Fut. A.* Irruit *in saucium* properans necare ipsum, cc على. II. Expetivit, instruxit suo apparatu et instrumento aliquem; *it.* misit *turmam, exercitum*, cc *ar.* et عَلَى p. IV. i. q. *Conj. I.*; *it.* fugit.

جَابَ *Fut. O. et I.* Pervasit, pertransivit *regionem.* IV. Responsum reddidit (*q. d.* fecit, sivit transire, non repulit), *ccap* et *c* الى *r.*; *it.* annuit, concessit.

جَارَ *Fut. O.* Deflexit a via. III. Vicinus fuit.

جِوَارٌ Vicinia.

جَازَ *Fut. O.* Ivit, abivit, transivit; *it.* licitum, conveniens fuit.

ح

حَبَّ *Fut. I.* Amavit, cupivit, voluit.

حَبَسَ *Fut. I.* Retinuit, continuit; conclusit et incarceravit.

حَتَّى Usque, donec.

حَجْرٌ *Nom. propr.* oppidi Iemamae, regionis Arabiae.

حَدٌّ Finis, terminus, limes.

حَدَثَ De novo et primum extitit *res.* IV. Produxit, fecitque existere quod non erat; *unde* *Nom. act.* إِحْدَاثٌ.

حَرَّ *pro* حَرِرَ *Fut. A.* Liber evasit e servo, talisve fuit.

حُرٌّ *contr.* τῷ عَبْد Liber, non servus, *et* γνήσιος, ingenuus, non spurius, liberalibus natus parentibus, *Collect.* أَحْرَارٌ.

حَرَبَ *Fut. O.* Opibus exuit et spoliavit alium; *it.* acuit *gladium*, bellum gessit. III. Pugnavit, bellum gessit; adversatus fuit, repugnavit.

حَرْبٌ Bellum. دَارُ ٱلْحَرْبِ Terra hostilis, hosticum.

حَرْبِيٌّ Qui terrae hostilis est, hostis, omnis qui nec addictus est Islamo, nec in clientelam Muslimorum foedere est receptus.

حَرَزَ Custodivit; حَرُزَ firmus munitusque fuit. IV. In tuto collocavit.

حَرَصَ *Fut. I.* Avide cupivit. II. Avidum cupidumve reddidit, incitavit.

حَرَقَ *Fut. I. et O.* Ussit. II. Valde et frequenter ussit combussitque.

حَرَمَ *Fut. I.* Prohibuit. حَرِمَ Vetitum et illicitum fuit, *cc* عَلَى *p.* VIII. Verecundum sese gessit erga aliquem *ccap.*

حَسَبَ *Fut. O.* Computavit, reputavit, cogitavit. حَسِبَ *Fut. A. et I.* Putavit, opinatus fuit.

حَسْبٌ *Nom. act. praec.* بِحَسْبِ Secundum, juxta. عَلَى حَسْبِ Pro ratione. حَسْبَمَا Quatenus, secundum quod.

حَصَرَ *Fut. O.* Arcte circumdedit, obsedit. III. Obsidione cinxit *urbem, hostem.*

حَصُنَ Firmus munitusque fuit.

حِصْنٌ Munimentum, arx.

حَضَرَ *Fut. O.* Praesens fuit.

مَحْضُورٌ Praesens.

حَطَبٌ Ligna, materia foci.

حَفَرَ Fodit *puteum.* VIII. id.

حَقَّ *Fut. O.* Necessarius, dignus et idoneus fuit. X. Dignus et meritus fuit; jure debetur.

حَقّ Ius, quod jure debetur.

حَكَمَ *Fut. O.* Potestatem et imperium exercuit *in alios.*

حَاكِم Iudex, magistratus.

حَلَّ *Fut. O.* Solvit *nodum. Fut. I.* Licuit, fas fuit; *it.* solutum fuit *debitum*, solvit mulctam.

حُلْوَان *Nom. propr.* urbis Babyloniae s Iracae Arabicae. Est extrema Iracae hujus urbs in orientem borealem ultra Tigridem sita.

حَمَدَ Laudavit.

مُحَمَّد Multa laude dignus; *et* nom. propr. viri.

حَمَلَ *Fut. I.* Portavit, sublatumque gestavit *onus in capite, dorso.*

حَمْل, حِمْل Fructus qui in utero gestatur, *vel* in arbore.

حَمُولَة Iumentum onerarium.

حَاجَ *Fut.* Opus et necesse habuit, cc. الى vel ان *Verbi.* VIII. id.

حَالَ *Fut. O.* Versus mutatusque fuit, *it.* uno extitit anno, anniculus fuit.

حَال Status, dispositio, modus.

حَوْل Annus.

حَيَّ *pro* حَيِيَ, *et hoc pro* حَيُوَ *Fut. A.* Vixit. IV. Vivificavit; *it.* terram culturam nondum expertam coluit et foecundam reddidit.

حَيِّز Area omnisque tractus ad domum spectans; *et* tractus ac plaga *in genere.*

خ

خَبَرَ *Fut. O.* Scivit, cognovit, rescivit. IV. Indicavit, renuntiavit, *ccap et* ب *r.*

خَتَمَ Sigillavit, obsignavit.

خَاتَم Sigillum, annulus signatorius.

خَرَجَ *Fut. O.* Exivit, prodiit, *etiam* hostili animo contra alium, *cc* على. IV. Eduxit. X. Eduxit, extraxit.

خَرَاج Proventus, reditus, *pecul.* regni; *it.* tributum, *praesertim* illud, quod pro fundis penditur. Vid. Ios. de Hammer *des Osman. Reichs Staatsverfass.* P. I. p. 213.

خَرَاجِيّ Tributarius.

خَطَرَ *Fut. I.* In dextram et sinistram jactavit, vibravit, sursum deorsumque motitavit.

خَطُرَ In dignitate, existimatione, gratia fuit.

خَطَرٌ Periculum, discrimen; fortuna et alea; *it.* dignitas, existimatio, gratia.

خَلَطَ *Fut. I.* Miscuit, immiscuit. III. Immiscuitque se *rebus hominibusve; aut res* inter se commiscuit, *c c a p, vel r.*

خَلَفَ Vexit post *vel* pone *alium*, in locum successit ei. III. Adversatus fuit, dissensit, contradixit, repugnavit, rebellavit. IV. Fefellit fidem aut exspectationem.

خَمَرَ *Fut. O. et I.* Operuit, texit, abdidit; *it.* fermentavit *massam.*

خَمْرٌ Vinum, *a fermentatione aut mentis turbatione dictum.*

خَمْسٌ Quinque. خُمْسٌ Pars quinta.

خَمَسَ *Fut. O.* Quintam cepit partem.

خَانَ *Fut. O.* Decepit, perfidus fuit *in eo quod creditum erat; it.* violavit pactum.

خِيَانَةٌ Fraus, perfidia.

خَارَ *Fut. I.* Bene habuit, bono statu fuit; *it.* praestitit *aliis, cc* عَلَى; *et transit.* praehabuit elegitque *prae aliis, c c a p et* عَلَى *r. VIII.* Elegit sibi.

خِيَارٌ Electio, arbitrium.

خَيْلٌ Equi *et* equites.

د

دَبَرَ Pone fuit, successit; *it.* retulit *dictum factumve* post alicujus mortem. II. Disposuit, instituit, rexit, moderatus fuit *rem, pecul.* respiciens finem; *it.* manumisit *servum* post domini mortem.

مُدَبَّرٌ Servus cui libertas post domini mortem promissa est, manumissus post domini mortem.

دِجْلَةٌ *et* دَجْلَةٌ Tigris fluvius.

دَخَلَ *Fut. O.* Intravit *domum, terram c c a r.; it.* immisit se *aliis cc* فِى, venit in numerum, accensetur. VI. In invicem ingressi immissive fuerunt, penetrarunt invicem.

دِرْهَمٌ (*fors. e Graeco Δραχμὴ*) *Pl.*

دَرَاهِمُ et دَرَاهِيمُ Numisma argenteum, qualia XX, subinde XXV, valebant دِينَارٌ, aureum unum.

دَعَا (pro دَعَوَ) *Fut. O.* Vocavit, advocavit, invitavit.

دَعْوَةٌ Vocatio, invitatio.

دَفَعَ *Fut. A.* دَفْعٌ *Nom. Act.* Trusit, pepulit, repulit, propulsavit; *it.* dedit; tradidit.

2) Vid. de eo Silv. de Sacy in *Notices et Extraits des Manuscrits de la bibliotheque du Roi* T. IV. p. 309.

3) Michael Sabbagh, ميخاييل بن نقولا بن ابراهيم صبّاغ, Arabs Acconensis, vir linguae patriae apprime gnarus, degit plures annos Lutetiae Parisiorum, ubi a. 1818. obiit. Librum ab eo compositum de *columbis tabellariis* Arabice et a se Gallice conversum edidit Silv. de Sacy (*La Colombe messagère*) Lutet. Paris. 1805. in octon. Vid. *Epistolae quaedam Arabicae a Mauris, Aegyptiis et Syris conscriptae*, edid. Maximil. Habicht, Vratislav. 1824. p. 31.

eunda editione Index omnium quae carmen continet vocabulorum, una cum eorum explicatione, ex utroque Scholiasta maximam partem hausta.

Quae de septem illorum carminum, quae *Moallakat*, i. e. Suspensorum nomine celebrantur, aetate et indole docte et subtiliter disseruerunt Jo. Jac. Reiskius [4]), Silv. de Sacy [5]), et Th. Christ. Tychsen [6]), hic repetere non attinet. Sed quae de ejus quod hic damus, carminis argumento, et quae

---

4) In Prologo ad *Taraphae Moallakah* a se edit. Lugd. Batav. 1742. in quat.

5) In *Mémoire sur l'origine et les anciens monumens de la littérature parmi les Arabes, extrait du Tome L des Mémoires de l'Académie des Inscriptions et belles lettres*, Paris, 1805. in quat. p. 127 seqq.

6) In *Commentat. de poeseos Arabum origine et indole antiquissima*, in *Commentatt. Societ. regiae scientiar. Goetting. recentior.* Vol. III. Class. histor. et philolog. p. 235. seqq. Vid. et nostra Commentat. quae inscribitur: *Ueber sieben der ältesten Arabischen Gedichte, welche unter dem Namen der Moallakat bekannt sind*, in *den Charakteren der Dichter aller Nationen* vel. sive: *Nachträge zu Sulzers allgem. Theorie der schönen Künste*, Vol. V. Fasc. 1. Lips. 1800. p. 5 seqq.

ejus componendi causa fuerit, e fontibus Arabicis nondum editis attulit Reiskius, in Prologo ad Tarafae Moallakah, quum ad carmen recte intelligendum plurimum faciant, Reiskii vero liber hodie raro obvius sit; rem gratam lectoribus me facturum speravi, si illa carmini praemitterem, notulis nonnullis adspersis, quibus literam *R.* apposui.

DE

ZOHAIRO EIVSQVE CARMINE.

E Reiskii Prologo ad Taraphae Moallakah, p. XXVI seqq.

Tertius ordine est *Zohair*, filius *Abi Solma*, *Mazenita*, poeta celebris, pater poetae non minus celebrati. Carmini scribendo quid ansam dederit, verbis *Tebrizii* declarabimus. Prologum apponam, quam ille huic Moallakah praemisit, quales etiam ad sextam et septimam exhibuit. Ait: كان ورد بن حابس العبسى قتل هرم بن ضمضم المزنى يقول له عنترة

وَلَقَدْ خَشِيتُ بِأَنْ أَمُوتَ وَلَمْ تَكُنْ

لِلْحَرْبِ دَايِرَةٌ عَلَى ٱبْنَىْ ضَمْضَمِ

قتله فى حرب عبس وذبيان قبل الصلح ثم اصطلح الناس فلم يدخل حصين بن ضمضم اخوه فى الصلح فحلف ان لا يغسل راسه حتى يقتل

ورد بن حابس او رجلا من بنى عبس ثم من بنى غالب ولم يطلع على ذلك احد وقد حمل الحمالات الحارث بن عوف بن ابى حارثة وهرم بن سنان بن حارثة فاقبل رجل من بنى عبس ثم احد من بنى مخزوم حتى نزل حصين بن ضمضم قال من انت ايها الرجل قال عبسى قال من اى عبس فلم يزل ينتسب حتى انتسب الى غالب فقتله الحصين فبلغ ذلك الحارث وهرم بن سنان فاشتدّ عليهما وبلغ بنى عبس فركبوا نحو الحارث فلمّا بلغ الحارث ركوب بنى عبس وما قد اشتدّ عليهم من قتل صاحبهم وانما ارادت بنى عبس ان يقتلوا الحارث بعث اليهم بماية من الابل معها ابنه وقال للرسول قل لهم اللبن احبّ اليكم من انفسكم فاقبل الرسول حتى قال لهم ما قال فقال ربيع بن زياد ان اخاكم قد ارسل اليكم الابل احبّ اليكم من انفسكم فنصالح قومنا ويتمّ الصلح فقال زهير يمدح الحارث بن عوف وهرم بن سنان

Ward Ben-Habes, Absita, occiderat Haremum, filium Dhemdhem, Dhobianitam[1]), *de quo dixerat Antarah* (ultimo Versu quintae Moallakah[2])):

1) In textu est المزنى *Mazenitam.* Conjeceram olim, scribendum esse الذبيانى quod in versione Reiskius expressit. Sed monuit WILLMET in *Observatt. ad Antarae Moall.* p. 237., illud المزنى non tantum legi in cod. Leid. Tebrizii Ms., verum et Prologum, qui in codice suo Zuzenii praefigitur Zoheiri carmini, etiam المزنى exhibere, quamquam hic prologus non ex eodem fonte esse videatur, quippe qui in multis quidem vocabulis cum Tebriziano conveniens, in aliis tamen ab eo diversus sit, et multa plura contineat. Nec vero opus est المزنى in الذبيانى mutare. Erat enim مزن, sive, ut Ibn Koteibah scribit, مازن, Dhobiani nepos. Vid. *Monumenta antiquiss. histor. Arab.* ed. Eichhorn p. 106. et Tab. VI. *R.*

2) In *Antarae* Moall. ed. Menil (Lugd. Bat. 1816.) est Versus 73. *R.*

Vereor, ne moriar antequam belli caedisque rota gyret super ambo filios Dhemdhem,

[i. e. moriar ante ipsos occisos. Bellicorum globorum et turmarum hastae, quae in miserorum corpora se penetrant, perpetuo motu, sunt quasi *ταρσὸς ὀδόντων* rotae molaris, qui in alteram rotam se inserunt]. *Scilicet in bello Abs et Dobhian*[3]) *ante pacem factam caedem illam Ward perpetraverat. Compositis vero simultatibus, intrare cum reliquis in pacis pacta nolebat Hosein Ben Dhemdhem, occisi Harem frater; jurans, caput suum prius nolle lavare* (exsecratione Arabibus usitata), *quam vel ipsum fratris sui αὐτόχειρα,*

---

3) Quod bellum et vocatur *bellum Dahhes et Ghabra* (داحس وغبرا), quae duorum equorum nomina sunt, quibus quum dominus eorum, Rex *Kais*, provocante *Hhadifa* quodam, cursu cum duobus aliis pignore centum camelorum contenderet, ortum inde dissidium diuturni et notissimi inter Arabes belli causa fuit. Unde etiam proverbium ortum a *Meidanensi* memoratum: قد تقع بينهم حرب داحس وغبراء *accidit inter eos bellum Dahhes et Ghabra*, diuturnum scilicet et *ἄσπονδον*, utpote quod quadraginta annos duravit: يضرب مثلا للقوم وقعوا فى شرّ يبقى بينهم مدة *de illis dicitur, inter quos inimicitiae non facile reconciliabiles, et lites sedatu difficiles ortae sunt.* Vid. Pocockii *Specim. Hist. Arab.* p. 82. et 346., H. A. Schultens *Specim. Proverbior. Meidanii ex vers. Pocockiana*, Lond. et Leid. 1773. p. 43. atque I. L. Rasmussen *Additamenta ad histor. Arab. ante Islamismum* (Havn. 1821. in quat.) p. 29. 36. Ceterum bellum illud aetate Mohammedis gestum fuisse, hincque Zohairi carmen, quod finito illo bello, in laudem eorum, qui illud composuerant editum est, non Mohammede antiquius esse, ostendit Reiskius in Prologo ad Taraph. p. XX—XXIII. Cf. de Sacy *Mémoire sur l'origine de la litterature parmi les Arabes* (vid. supra Praefat. not. 5.) p. 152 seqq. *R.*

Ward, sustulisset[4]), *aut alium quendam Absitam, nominatim de familia Ghaleb. Proposita conditio nemini arridet; reliqui pacem faciunt, hoc neglecto. Interea Absita aliquis, una cum alio Machzumita adest hospes apud Hosein Ben Dhemdem. Hic illum rogare, quis virorum? cui alter, Absita, respondere. Hosein illum urgere gravius, donec patrem et avos recensendo ad Ghaleb usque pervenisset. Quo audito Hosein illum trucidat. Hareth Ben Auf Ben Abi Haretha, et Harem Ben Senan factum audiunt, aegre ferunt. Idem patiuntur Absitae, qui cursu, Harethum occisuri, jumentis contendunt. Hareth ut adesse Absitas accipit, indigne ferentes caedem tribulis sui, mittit centuriam camelorum cum filio suo, et internuncium suo nomine jubet ipsis dicere: lac vobis acceptius et pretiosius est, quam vosmet ipsi vobis* [id est: securus sum de vita filii mei, quem vobis ἀντίλυτρον mitto. Vos enim camelos nimis amatis, quam ut eos, occiso filio meo, remittatis]. *Internuncius advenit, et absolvit orationem suam, quaecunque illa tandem fuerit. Tum surgit Rabi Ben Zeiad* [Absitarum princeps], *et rogat vos, inquit, frater vester, camelosne majoris faciatis, an ejus filium? Imo vero potiores sunt nobis cameli, quibus mutilam adhuc pacem perfectam efficiamus. In hoc factum Harethi et* patruelis sui *Harem recitavit*

---

4) Cf. A. Schultens ad *Excerpta ex Hhamasa* p. 438., ubi in nota locum e *Merzukio*, Scholiasta, de hoc Arabum jurejurando allatum invenies. Ceterum haud puto, fore quenquam, cui dira illa Arabum consuetudo, ex qua occisi alicujus caedem proximi ejus cognati ulcisci debent, quod saepissime bellorum diuturnorum et cruentorum causa est, ignota sit. Vid. de hoc talionis jure Arvieux *die Sitten der Beduinen-Araber* p. 45. vers. teuton. Niebuhr *Beschreib. von Arabien* p. 32 seqq., et Volney. *Itinerar.* P. I. p. 202 seqq. vers. teuton. Cf. A. Schultens l. l. p. 486 seqq. et p. 558. *R.*

panegyricum Zoheir Ben Abi Solma. Hucusque Tebrizius. Occasio haec fuit scribendae hujus Moallakah, in qua id agit auctor, ut dictorum modo virorum virtutes et beneficia in Arabes collata dignis laudibus evehat; truculenta damnet Hosein Ben Dhemdhem consilia; calamitates belli enumeret et funestas clades, quibus per quadraginta annos fuerant attriti, gentemque nimis ferocem, et ἀγέρωχον purae famae ac mansuetae mentis honesto amore imbuat: Deum invigilare acuto oculo, et esse vindicem nequitiae; injurias a vilissimo quovis fungo et terrae filio non esse perferendas, aeque tamen contra ob levissimos et innocentes casus, nulla temporum habita et voluntatum ratione, ceu dementibus, ad arma statim, signo quasi dato, concurrendum. Servandam esse fidem castam limpidamque; formam enim induas quamlibet, animi indolem diu latere neutiquam posse; amicorum qui cupiat commoda, molestias illi etiam esse devorandas. Multa vidisse octoginta annorum progressu (totidem enim se natum pronunciat), et mira quoque; id didicisse vero: bene factis gloriam parari. Senilis certe prudentia, et in dictione, et in argumento, elucet, *καὶ πρὸς τῷ κεκριμένῳ τοῦ λόγου καὶ τὸ ἑδραῖον τοῦ ἤθους ἐντετύπωται τουτῳ τῷ συγγράμματι*, adeoque placuit illi Harem Ben Senan merito, ut voto se obligaret, numquam sibi a Zohairo salutem esse impertiendam, quam non insigni quodam dono compensaret. Digna sunt verba *Nuweirii*, ex Tomo II. Sect. III. Cap. 1. 5. 3. p. 223., ubi de iis agit, qui sub paganismo laudem liberalitatis sustinuerint: فمن اخباره انه الى على نفسه انه لا يسلم عليه زهير الا اعطاه فقلّ مال هرم وكان زهير يمرّ بالنادى فيقول انعموا صباحا ما خلى هرما فخير القوم تركت *Referunt, illum jurasse per suam animam, se quotiescunque Zohair ipsum salutarit, eum esse donaturum. Haremo autem curtam fuisse suppellectilem. Solebat ergo Zohair cum transiret tribus conciliabulum dicere: bonum mane vobis precor,*

praeterquam Haremo; nam optimum suorum excipio. Paulo ante idem Nuweirius attulerat aliquot Versus Zohairi in eundem Haremum, ex traditione Omari, sed quorum secundus de fraude monachali mihi suspectus est:

دع ذا وعد القول فى هرم خير الكهول وسيد الحضر
لو كنت من شى سوى بشر كنت المنور ليلة القدر
ولانت اوصل من سمعت به لسوابك الارحام والصبر
ولنعم حَشّو الدِرّع انت اذا دعيت نزال ولج فى الذعر

Procul absit ab Haremo magnificus πομφολυγοπαφλάγων [i. e. non quaerendus in eo, nec invenitur, thrasonicus promissor], *et ventosus jactaior, optimo illo virorum, et urbanorum principe.*

Si fores creatus aliud quid, quam homo, fores illustrans noctem nigerrimam fati [vel angelus, vel luna].

Omnium quotquot audivi promtissimus jungere tibi alienos beneficiis et indulgentia.

Euge optima loricae fartura, pervadens terrorem, quando clamatur: ἰὼ πόνοι, καὶ μάχαι, καὶ λάμαχοι.

Aliud ejusdem testimonium dabo ex *Meidanense*, ubi proverbium اجود من هرم, *liberalior quam Harem*, exponit: هو هرم بن سنان بن ابى حارثة وفيه يقول زهير بن ابى سلمى

ان البخيل ملوم حيث كان ولكن الجواد على علاته هرم

Sordibus, ubicunque terrarum aut conditionis sit, culpatur; sed Harem est generosus, κἂν νοσῶν τὰ χρήματα.

Possem nunc commemorare, qua ratione ille Harem et Hareth adducti fuerint ad finem bello Dahes imponendum. Ibn Nobata luculenter persequitur. Sed locus hic non est. Recens nupta Harethae uxor serio ludebat Lysistratem, viro licet *βουβωνιῶντι*, et sic pacem *εὖ τάχειος καὶ προσφιλῶς* obtinebat. Verbulum adhuc de tertio hoc carmine. Ejus occasione natum fuit proverbium تشمرت مع الجارى *discessit cum currente*, de re quae memoria cui excidit, et quidem non nolenti. De eo sic notat *Meidanensis:* C. III. No. 727. يقال تشمرت السفينة اذا انحدرت مع الماء وشمرتها اذا ارسلتها يضرب فى شى يستهان به وينسى وقايله كعب بن ابى سلمى وابو سلمى ربيعة بن رباح بن قرط من بنى مازن وانما قال هذا المثل كعب حين ركب هو وابوه زهير سفينة فى بعض الاسفار وانشد زهير قصيدته المشهورة وهى أمن امّ اوفى دمنة لم يكلّم فقال لابنه كعب دونك فاحفظها فقال نعم فامسيا فلمّا اصبحا قال له يا كعب ما فعلت العقيلة يعنى القصيدة قال انّها تشمّرت مع الجارى يعنى انسيتها فمرّت مع الماء فاعادها عليه فقال ان شمرتها يا كعب شمرت بك على اثرها

Primus illud dixit Caab Ben Zohair Ben Abi Solma, *quum navi aliquando iter cum suo patre faceret. Zohair enim vesperae Moallakah suum ille recitabat, eccam tibi, dicens, memoriae manda. Filius promittit. At cum mane surgerent, roganti patri: quid agit,*

mi fili, tuum κουράλλιον? (putabat suum carmen) respondet: pro-ripuit se succincta, et effluxit cum fluente, i. e. memoria excidit. Repetebat igitur illam ipsi pater, addito monito: si iterum illam expeditam et succinctum dimiseris [i. e. statim, momento], *ego te pedissequum succinctum illi submittam e vestigio* [i. e. deturbabo te aquarum vortices].

DE METRO

CARMINIS ZOHAIRI AL-MOALLAKAH.

Carminis hujus metrum est illud, quod اَلطَّوِيل *Longum* vocant, ob literarum numerum, quo reliqua quaecunque superat, ita ut nonnullis videtur, dictum. Constat e *Bacchio* et *Epitrito primo quater repetito*, hoc schemate (a dextra sinistrorsum):

– – – ∪ | – – ∪ | – – – ∪ | – – ∪
– – – ∪ | – – ∪ | – – – ∪ | – – ∪

Arudha [1]), i. e. hemistichii prioris pes ultimus, pro Epitrito primo et Dijambum (– ∪ – ∪) recipit. *Dharba* [2]), i. e. hemistichii posterioris pes ultimus, *vel* est regularis (Epitritus primus), *vel*

---

*) Duce usi sumus SAMUEL. CLERICI *Tractatu de prosodia Arabica ex autoribus probatissimis eruta*, Oxon. 1661. in octon. p. 35 seqq., ita tamen, ut pro Arabicis Pedum metricorum nominibus, quae Clericus retinuit, substitueremus, perspicuitatis causa, nomina Graeca, nobis usitata.

1) اَلْعَرُوض *Propositio*, exhibitio rhythmi, quod totius carminis rhythmus ab eo pendet.

2) اَلضَّرْب *Fixio* scil. tentorii, quod eo pede Versus, uti tentorium figendo, perficitur.

***

Dijambus (ut in nostro carmine constanter), *vel* Bacchius. Observat *Abu - Isaac Az - Zajjaj'*, si pes octavus sit Bacchius, pedem septimum raro sanum (i. e. Bacchium) manere, quod sic nihil esset a pede sequente diversi, quum tamen pedum diversitas praecipua sit hujus carminum speciei proprietas, eâque de causâ pedem septimum plerumque esse Amphibrachyn (⏑ – ⏑).

In locis imparibus hoc metri genus admittit pro Bacchio Amphibrachyn, in secundo, quarto et sexto Dijambum:

– ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑
– ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑

Interdum in prima sede Spondeum recipit, in secunda et sexta Antispastum:

– ⏑ – ⏑ | – – ⏑ | ⏑ – – ⏑ | – –
– – – ⏑ | – – ⏑ | ⏑ – – ⏑ | – – ⏑

Nonnumquam in prima sede Trochaeus invenitur:

– ⏑ – ⏑ | – – ⏑ | – – – ⏑ | ⏑ –
– ⏑ – ⏑ | – – ⏑ | – – – ⏑ | – – ⏑

In nostro carmine notandum est, Vs. 25. hemist. 1. pro فِيهِمْ efferendum esse, metro ita poscente, فِيهِمِ, Vs. 26. hemist. 2. pro أَقْسَمْتُمْ legendum أَقْسَمْتُمُ, Vs. 31. hemist. 1. pro فَتَعْرُكْكُمْ pronunciandum فَتَعْرُكْكُمُ, Vs. 41. hemist. 1. بَيْنَهُمُ, et Vs. 64. hemist. 1. وَعَدْتُّمُ esse efferendum, ex licentia poëtica, quâ Pronominis suffixi هُمْ Consonans finalis, Vocali ex regula destituta, postulante metro vel Kesram vel Dhammam, pro Vocali praecedente, assumit [3]).

---

3) Vid. Clerici *Prosod.* p. 61. Cf. de Sacy *Grammaire* T. II. p. 374. no. 692.

CECINIT ZOHAIR, ABI-SOLMAE FILIVS, MAZENITA, COGNOMINE ABV BODSCHAIR.

1. Suntne silentes tentorii Ommi - Aufae reliquiae in Chaumânat - iddarâdscha et al - Motathallama?

2. Suntne tentorii illius vestigia in utraque Rocmata? Similant illa ductus redintegratos in carpi venis.

3. Ibi capreae amplis oculis candidaeque dorcades incedunt aliae alias insequutae, earumque pulli surgunt ex omni lustro.

4. Hic constiti post viginti annorum spatium, vixque post longam meditationem agnovi locum, ubi quondam amatae tentorium fuerat erectum.

5. Agnovi nigricantia ollarum sustentacula in loco aheni, fossamque tentorium ambientem ad instar marginis piscinae, cujus lapides non fracti.

6. Cum agnovi locum, salutabam habitaculi illius reliquias, „charae sedes," inquiens, „laetus vobis et faustus illucescat dies!"

7. En! amice, nonne conspicis puellas pilentis camelinis vehentes? procedunt per loca elatiora supra Dschorthami flumina,

8. In pilentis, quibus operimenta lanea egregia et conopea injecerunt, quorum rubri limbi sanguinem aequant.

9. Per vallem Suban vectae ascendunt ejus dorsum vultu subridente, hilaritatis pleno.

10. Mane novo surgunt, primo diluculo iter persequuntur, recte tendunt ad vallem Rass, a qua haud magis aberrant, quam ad os directa manus ab eo aberrat.

11. Inter illas offerunt se perspicaci observatori oblectamenta, et oculo spectatoris venustarum formarum gnari admirandae pulchritudinis vultus.

12. Panniculi lanei pilentorum discolores, qui ubicunque divertentes descendunt dependent, similes sunt baccis solani non conquassatis.

13. Quando descendunt ad puteum limpidas ebullientem aquas, deponunt baculos, sicut sede fixa mansurus qui tabernaculum figit.

14. Praetervehuntur dextra Kenaanem montem, et quae ei contigua sunt loca salebrosa. O quot in Kenaane quos aggredi nullum me foedus cum iis initum prohibet! Quot vero et alii foederis vinculo mihi juncti, quos aggredi haud licet!

15. Ascendunt e valle Suban, tum iterum eam transeunt, cunctae in sellis bene aptatis, novis amplisque.

16. Juro per domum, quam solennibus pompis ambiverunt qui eam aedificarunt viri Coreischitae et Dschorhomidae,

17. Per dextram attestor meam, praeclaros esse vos ambo principes, qui facilioribus et impeditioribus negotiis reperimini aeque pares.

18. Omni opere adnixi sunt ambo duces Gaidho, Morrae filio, orti, ut conjungerent rursus tribum, quae sanguinis profusione esset divulsa.

19. Reconciliastis Absitas et Dhobianitas postquam bello se invicem perdidissent, et Manschami aroma inter se contudissent.

20. Dixistis: si pacem consequamur, tum opibus erogatis et beneficiis a vituperatione liberi erimus.

21. Adepti eâ (pace) estis optimum domicilium, semoti illâ redditi a contentione et reatu.

22. Vos ambo, altissimo honoris gradu constituti, ortu ex Maaddo nobiles, feliciter res vestras agite! Qui thesauri gloriae copiam facit, ipse magnus evadit.

23. Sanata sunt vulnera centum *camelis*, quos justo tempore pendebant qui culpâ vacarent.

24. Pendebat tribus tribui mulctam; qui illam persolvebant ne ampullam quidem sanguinis profuderant.

25. Versantur inter illos ex avitis vestris opibus, praeda victis ab hostibus relata, parvi cameli, praestantioris indolis nota insignes.

26. Age, perfer ad foederatos illos Dhobianitasque a me hoc nuncium: obstrinxistis vos jurejurando omnimodo.

27. Ne Deum celare studeatis, quae in animo occulta habetis, ut lateant; quodcunque quis celat, novit Deus.

28. Differt et in libro notat, atque in computi diem reponit *criminum poenam;* aut accelerat vindictam.

29. Nihil est bellum nisi quod nostis et gustastis; nec quod de illo dico tale quid est, quod in dubium vocare possitis.

30. Cum bellum excitastis, excitastis illud vituperabile, invaluit exarsitque cum illud incitastis.

31. Confricuit vos sicut mola confricat grana, cum ei substratus est pannus ad excipiendam farinam. Foetum fuit instar camelae, quae bis eodem anno concepit, tum enixa gemellos peperit.

32. Peperit vobis natos adultos maxime infaustos omnes, ad instar Rubri Aaditarum; mater lactavit eos, mox ablactari idonei erant.

33. Tantum proventum vobis protulit *illud bellum*, quantum suis incolis non suppeditant pagi ac villae Iracae mensuris amplis ponderibusque gravibus.

34. Per vitam meam! summis laudibus efferenda est tribus illa, in quam delictum accersivit, eo quod consentire nollet, Hosein, Dhemdhemi filius.

35. Celavit animoque recondidit simultatem, nec aperuit eam, nec ad eam exsequendam praeceps ruit.

36. Dixit: exsequar meum propositum, reddamque me securum a meis hostibus mille comitatus equis beneque capistratis.

37. Impetum fecit audax, nec reformidavit multa tentoria, apud quae vulturum mater mansionem fixit.

38. Ubi leo armis indutus, tela emittens, jubatus, non praecisis unguibus.

39. Audax, qui quando laeditur extemplo punit illum qui ipsum laesit, et nisi quis ipsum aggreditur, aggreditur ipse.

40. Pastum suos duxerunt inter utramque aquationem, tum in gurgites deduxerunt, discissi armis et sanguine.

41. Miscuerunt invicem mortes, ab aquatione deinde reduxerunt, in pabula pergentes insalubria et pestifera.

42. Per vitam tuam! eorum hastae eos non reos reddiderunt sanguinis filii Nohailii, aut occisi el-Mothallami.

43. Non participes fuere (eorum hastae) in bello illo fusi sanguinis Naufeli, aut filii al-Mochassami, nec tamen quod ab illo timerent.

44. Omnium caedes ab iis expiatas vidi egregiis camelis, qui arduum clivum ascenderunt,

45. Propter tribum, quae tentoria figit ubi foederati res suas defendunt, si quando nox ingruat cum gravi infortunio;

46. Propter nobilem tribum, in qua ei qui adversus alium simultatem fovet, vindictae sitim explere non licet; nec si suorum aliquis in ipsos deliquerit, eum auxilio destituunt.

47. Taedet me molestiarum vitae; qui octoginta annos vixit, eum profecto illarum taedere necesse est.

48. Novi quae hodie et heri et nudius tertius acciderunt, verum quod ad diem crastinum, coecutio.

49. Vidi mortem saepe ad instar coecutientis camelae, terram pede quatientis; ea quem attigit, dat neci, quem vero transgreditur, is diu vivit et senio conficitur.

50. Qui sibi homines non conciliat in variis negotiis, eorum morsu dentibus arripitur, eorumque ungulis conculcatur.

51. Qui servandi sui honoris causa egregia facta patrat, illum auget; sed qui sibi non cavet a vituperatione, in eam incurrit.

52. Qui opes possidet, sed parcus illis est erga populares, eo carere se posse judicant, eorumque vituperio se exponit.

53. Qui stat promissis, probrum effugit, et cujus cor dirigitur ad mansionem integritatis mentis, numquam perturbabitur.

54. Qui timidus causas mortis effugere studet, eum assequetur, quamvis scala nubes ascendat.

55. Qui beneficiis ornat indignos, pro laude vituperium sibi conciliabit, poenitebitque ipsum collatorum beneficiorum.

56. Qui rejicit hastae inferius ferramentum, subjicere se debet acuminatae illius extremitati, quae omni telo est inserta.

57. Qui a cisterna sua non abigit armis qui ad eam accedunt, mox dirutam illam videbit; quique semper abstinet ab aliis aggrediendis, opprimetur ipse.

58. Qui peregrinari solet, inimicum reputat suum amicum. Qui se ipse animo generoso non extollit, non habetur generosus.

59. Qui se jumenti onerarii instar ab aliis tractari patitur, nec unquam ejusmodi vilis conditionis immunem se reddere studet, eum id non fecisse poenitebit

60. Si quis animo sui indolem, quaecunque ea fuerit, latere alios existimet, tamen ea conspicua fiet.

61. Quot hominum vides, qui silentes admirationem tibi movent, sed eorum vel virtutes vel vitia tum demum, cum loquuntur, apparent!

62. Dimidia viri pars est lingua, altera cor ejus; quod reliquum, nihil est quam forma quae carne et sanguine constat.

63. Senilem stultitiam haud sequitur prudentiae aetas; juvenis vero qui stulte egit, prudens fieri potest.

64. Rogavimus, et vos dedistis; iteravimus preces, vosque iterum annuistis; qui vero preces frequentat, aliquando repulsam feret.

IN

ZOHAIRI CARMEN

ANNOTATIONES.

Ad Vs. 1.

„Mos erat perpetuus antiquis Arabum poetis, aut ab amoribus poema ordiri, aut amorum descriptionem medio poemati apte intexere, deinde equum aut camelum describere, quo vecti ad amicarum tentoria accederent, et postea ad argumentum praecipuum uberius tractandum properare, donec, per suavem rerum varietatem carmen deducentes, lapsu quodam molli et aequabili, in clausulam quasi subito caderent.“ GUIL. JONES *Poes. Asiat. Commentar.* P. I. Cap. 3. p. 81. edit. Lips. Confirmant hanc observationem septem Moallacat, quae omnia eundem illum morem tenent. Vocant autem tale exordium, quo vel feminae alicujus pulchritudinem laudant, vel iter ad amicam describunt, نَسِيبٌ, a نَسَبَ *retulit genus aut nomen aliquorsum*, quia a nominibus feminae, quam laudandam sibi quisque sumserat, poemata dignosci et circumferri solebant. Pluribus hac de re egit REISKIUS *ad Taraph.* p. 40 seqq. Cf. LETTE *ad Caab. Ben Zoheir Carm. panegyr. in Mohammed.* p. 93. Quia Reiskii in Tarapham doctum Commentarium paucis nostratium adire datum

est, apponere huc quaedam ex illo visum est, quae septem prioribus hujus carminis Versibus haud parum lucis affundant. „Ipsi poetae,“ inquit p. 43., „plerumque Scenitae erant, et, quod illius vitae natura postulat, in perpetuo motu fugientes, amasias persequebantur, inter alias quamplurimas causas luxuriantis terrae et pabuli copia illecti. Inde factum, ut cineres disjectos, pristinorum incolarum monumenta, terram foco et ignibus denigratam, lapides, quibus ollas fulciebant, derelictos, aggerem tentorio circumfusum olim, nunc collapsum et inundatum, alia, pingant, sedesque vastas, amicarum absentiam, accessus difficultatem, cetera, deplorent. Leniendi doloris causa socios secum sumebant, praesertim duos; interdum soli, non ad remota quidem loca, sed propinqua excurrebant per tenebras, ut quarum accessu interdiu armata manu prohibebantur, noctu illis possent frui. — Cum pervenissent ad loca illa, in honorem priorum incolarum e camelis interdum solebant descendere et pedites ire; ibi tandem stantes plorabant amicarum discessum sediumque vastitatem, et fortunae omnia destruentis saevitiem.“

Prima Carminis verba, أَمِنْ أُمِّ أَوْفَى, Nahasus observat esse per compendium dicta pro امن دمن أمّ أوفى *num de reliquiis* scil. tentorii Ommi-Aufae? poetam omisso nomine regente posuisse tantum nomen rectum. Similiter Zuzenius sensum declarat in hunc modum: num reliquiae tentoriorum amatae (quam Ommi-Aufam nuncupat) interrogatae non respondent in utroque illo loco, Chaumanat-ol Darrâdscha et Motathallema? Loca haec esse nota dicit Nahasus, unde nec ipse nec Zuzenius situm illorum indicant. *Motathallam* commemorat et Antara *Moall.* Vs. 4., ad quem loc. cf. quae Willmeti notavit p. 122. دِمْنَةٌ Nahasus notare ait *lôcum depressum*, *qui* تدمن i. e. *niger est cinere aliisque sordibus.* Zuzenius nomine illo designari ait *locum quem denigrarunt vestigia domus stercore, cinere aliisque rebus.* Pluralem esse دِمَن. Significare et *malevolentiam* et *fimum.* Hoc

Versu usurpari significatu primo loco posito. Cf. de hac voce DE-SACY *Commentar. ad Harir.* p. 41. لَمْ تَكَلَّمْ *Non respondent* rudera illa, interrogata, ubinam terrarum puella, a poeta amata, cujus tentorium olim hic fixum erat, nunc commoretur? Solenne est Arabum poetis lapides interrogare ubinam sint amicae illosque ad doloris societatem invitare. Ita LEBID *Moallac.* Vs. 10.

فَوَقَفْتُ أَسْأَلُهَا وَكَيْفَ سُؤَالُنَا

صُمًّا خَوَالِدَ مَا يَبِينُ كَلَامُهَا

Constiti, interrogavi illa (rudera tentorii amicae), *sed quid interrogationes nostrae ad petras mutas, quae indistinctos sonos reddunt?* Poeta anonymus apud JONESIUM in *Poes. Asiat. Commentar.* p. 48. edit. Lips.

مَنْزِلَةٌ صَمَّ صَدَاهَا وَعَفَتْ

أَرْسُمُهَا إِنْ سُئِلَتْ لَمْ تُجِبْ

Mansio, cujus echo obmutescit; deleta sunt ejus vestigia; si interrogentur, non respondent. Quod Zohairus hoc Versu interrogat dubitatque, eo Zuzenius observat indicari, illum longo temporis intervallo haec loca visitare, eorumque faciem ita esse immutatam, ut vix illa agnoscat.

Ad verba لم تكلّم notat Zuzenius, Particulam لَمْ poscere Futurum dschesmatum, sive apocopatum, تَكَلَّمْ. Hic vero Mim efferri per Kesram, quia litera Vocali carens si tali sit efferenda, maxime convenire, ut per Kesram efferatur. Hoc autem loco nullam aliam Vocalem nisi Kesram admitti, ut metri et rhythmi leges serventur. Quum enim *Cafia* قَافِيَة, sive ὁμοιόπτωσις hujus carminis ea sit, quam Arabes *solutam*, مُطْلَقَة, vocant, qua extremae singulorum

Versuum syllabae in eandem *Vocalem longam* exeunt, et in hoc quidem carmine in ـِـي, in primo autem talis carminis Versu et utrumque hemistichium *ὁμοιοτέλευτον* sit, sequitur, hoc loco تَكَلَّمِ poni debuisse. Cf. SAM. CLERICI *Prosod. Arab.* p. 153 seqq.

Ad Vs. 2.

Initium Versus per interrogationem expressimus, ex mente Zuzenii, qui dubitanter loqui poetam ait, sintne hae reliquiae tentorii amicae nec ne? رَقْمَتَان duorum pagorum nomina esse dicit uterque Scholiastes; illorum alterum prope Basram, alterum prope Medinam situm fuisse. Poeta, inquit Zuzenius, „vult, amicam, dum cum sua tribu pascui quaerendi causa, Nomadum more, hanc regionem peragrasset, in utroque loco illo diversatam fuisse. Neque vero vult, Ommi-Aufam duobus illis locis simul s. eodem tempore commoratam esse, longius enim illa invicem distant. Debuisset proprie Dualem ponere (*suntne duorum tentoriorum reliquiae in utraque Rocmata*), sed usus est Singulari loco Dualis, evitandae obscuritatis causa, quum nemini dubium esse possit, unam eandemque habitationem non posse simul prope Basram et prope Medinam esse. كانّها positum pro كانّ رسومها *perinde ac si vestigia ejus*, sive اطلالها *reliquiae ejus*, omisso nomine regente. مَرَاجِيعُ, Pluralis nominis مَرْجُوعٌ a Verbo رَجَعَ *reduxit, restituit*, hic sunt ductus restaurati ex renovati picturae وَشْمٌ dictae." وشم Tebrizius ad Taraphae Moallac. Vs. 1. esse dicit ان يغرز بالابر بالجلد ثمّ يذر عليه الكحل والنور ويبقى سوادها ظاهرا *si compungatur cutis acu, et inspergatur stibium et fuligo adipis adeoque compuncta loca nigra* (aut admodum viridia potius ceteris) *appareant*. De quo feminarum Arabicarum more, manus et faciem illo modo compungendi et pingendi vid. plura in RUS-

SELLII *Hist. nat. Halebae urbis* P. I. p. 136. vers. teuton. نَوَاشِرُ Pluralis τοῦ نَاشِرٌ et نَاشِرَةٌ, denotat nervos seu venas carpi, i. e. ejus partis manus, cui armillae indui solent, quae مِعْصَمٌ vocatur, cujus Pluralis مَعَاصِمُ. Comparat igitur poeta reliquias tentorii amicae torrentum fluctibus pulvere nudatas redintegratis ductibus picturae in vola feminae. Eadem comparatione utitur LEBIDUS *Moall.* Vſs. 18, 19.

وَجَلَا ٱلسُّيُولُ عَنِ ٱلطُّلُولِ كَأَنَّهَا

زُبُرٌ تُجِدُّ مُتُونَهَا أَقْلَامُهَا

أَوْ رَجْعُ وَاشِمَةٍ أُسِفَّ نَؤُورُهَا

كِفَفًا تَعَرَّضَ فَوْقَهُنَّ وِشَامُهَا

Denudaruntque torrentes rudera tentoriorum, ac si essent libri, in quibus literarum ductus renovarunt calami scriptorii;

Aut quemadmodum orbes cuti impressi denuo apparent, cum mulier pingendi artis perita illis nigrum pulverem inspersit.

TARAPHA *Moall.* Vs. 1.

لِخَوْلَةَ أَطْلَالٌ بِبُرْقَةِ ثَهْمَدِ

تَلُوحُ كَبَاقِي ٱلْوَشْمِ فِي ظَاهِرِ ٱلْيَدِ

Quae REISKIUS sic reddit: *Rudera* [tentorii] *Chaulae* [amicae poetae] *in sabuletis Thahmed splendent sicut reliquiae glasti in superficie manus.*

Ad Vs. 3.

Vasta Arabiae campestria ab innumeris caprearum sive dorcadum gregibus perrerari, res est notissima, et a multis, qui oras

istas inviserunt, observata; vid. SHAW *Itiner.* p. 152. vers. teuton. BELON *Observations* p. 125. edit. Paris. 1585. et in H. E. G. PAULUS *Sammlungen der merkwürdigsten Reisen in den Orient* P.I. p. 215. Adduxit BOCHARTUS in *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. XXVII. T. II. p. 351. edit. Lips. locum e Damiri Historia animalium, ubi hic Versus occurrit, non indicato tamen poetae nomine. Pro العين legitur ibi العبيلة *caprea, decima,* vel *decima quinta a partu die.* Nomen عِين Nahasus exponit per بقر الوحش, quo non *bos sylvestris*, sed *caprearum* quaedam species designatur, ut ostendit BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. XXVII. T. II. p. 364. edit. Lips., adde SHAW *Observatt. phys.* ad calcem Itinerarii p. 358. sequ. vers. teuton. et OEDMANN *Vermischte Sammlungen aus der Naturk.* Fasc. I. p. 30. et Fasc. IV. p. 27. Zuzenius عِين *amplis oculis praeditos* notare dicit et positum hic esse pro البقر العين omisso nomine substantivo, quum id ex Adjectivo facile intelligatur. آرام pluralem esse τοῦ رِئم idem ille notat, quod caprearum speciem coloris candidi significet. Plura de hac gazellarum specie disseruit BOCHARTUS l. l. T. III. p. 353. edit. Lips. خِلْفَةً, inquit Zuzenius, „indicat, venire aliam post aliam, sive, praeterito uno agmine sequi alteram. Eodem sensu usurpatur vox illa in Corano Sur. XXV, 63. de diei noctisque se invicem excipientis vicissitudine. أطلاء est Pluralis nominis طلا, quod proprie pullum dorcadis denotat, verum et transfertur ad foetum humanum, recens natum usque ad mensem et ultra. Verbum جثم (in Futuro media radicali Dhammâ) dicitur de hominibus, volucribus et feris in pectore procumbentibus, quemadmodum de camelis ita cubantibus برك dicitur. مَجْثِم denotat *locum* quo homo aut animalium ante memoratorum aliquod in pectore procumbit. Participium passivum Conjugationis IV. مُجْثَم idem quod Participium passivum Conjug. I. Quoad nomina formae مفعل ab hoc Verbo derivata, imitantur ea Verba,

quae in Futuro mediam radicalem habent Kesrâ notatam, a quibus forma مَفْعَل, media radicali Fathatâ, est Infinitivus, sive nomen actionis, مَفْعِل vero, media radicali Kesrata, nomen loci, ut مَضْرَب est nomen actionis, مَضْرِب vero nomen loci. Dicit poeta, in hac habitatione esse capreas amplis oculis, et dorcades candidas incedere ibi alias alias insequutas. earumque pullos prodire e suis lustris, ut matres eas lactent." Nostro Versui haud absimilis ille LEBIDI *Moall.* Vs. 7.

وَٱلْعِينُ سَاكِنَةٌ عَلَى أَطْلَائِهَا

عُوذًا تَأَجَّلَ بِٱلْفَضَاءِ بِهَامُهَا

Capreae amplis oculis juxta pullos quiescunt recenter natos, qui hisce in campis gregatim incedunt.

Ad Vs. 5.

Descriptio non invenusta loci a pastoribus per tempus aliquod ibi commorantibus relicti. Similiter ABU SAHR in *Anthologia Hudeilitarum* apud Reiskium ad Taraph. p. 44.

وصفّ احدب شقّته وليدتها

نبادر السيل بالمسحاة مخدود

وغير وتر ظُوار حول ملتبد هابى

الرواكد من سفع الذكا سود

Et fossa gibbosa cava, quam exscidit ancilla rutro praevertens torrentem; et pluribus instructi pedibus tripodes circa compactum cinerem volitantem, furvi ab ignis ardore.

LEBID. *Moall.* Vs. 11.

عُرِيَتْ وَكَانَ بِهَا ٱلْجَمِيعُ فَأَبْكَرُوا

مِنْهَا وَغُودِرَ نُؤْيُهَا وَثُمَامُهَا

Nudata est planities, in quam numerosa familia sedem fixerat; sed ante diluculum castra moverunt, et nihil reliquerunt, nisi canales tentoria ambientes et hirtum. Poeta anonymus a Nahaso Scholiasta laudatus ad Vs. 1. *Num vestigia tentorii amicae in utraque Rocmata agnoscam? Contrita sunt multum calcando et deleta. Discesserunt suaves et gratae illorum habitatores, nihilque suorum tentoriorum superest nisi arena et locus vestigiis carens.*

Pro كَجِذْمِ ٱلْحَوْضِ *instar marginis piscinae* Zuzenius monet in codicibus nonnullis legi كَحَوْضِ ٱلْجِدِّ *instar marginis putei antiqui.*

Ad Vs. 6.

Similiter Antara *Moall.* Vs. 12.

أَمْ هَلْ عَرَفْتَ ٱلدَّارَ بَعْدَ تَوَهُّمِ

يَا دَارَ عَبْلَةَ بِٱلْجِوَآ تَكَلَّمِي

وَعِمِي صَبَاحًا دَارَ عَبْلَةَ وَٱسْلَمِي

Tune agnosti post longam meditationem amatae *habitaculum? O domus Ablae, in* valle *Dschiva, nuncium mihi adfer* de amica. *Tibi, domus Ablae, fausta exoriatur aurora et fortunata!* Poeta anonymus apud Nahasum: *Subsiste huc, ubi quondam illius steterat tentorium, ejusque saluta rudera. Compella ea, forsan respondebunt.*

Ad Vs. 7.

Hoc vult, inquit Zuzenius, poeta, se vehementi amoris impetu concitatum in summa mentis perturbatione impossibile quid coram spectare sibi imaginari. Quî enim fieri potuit, ut post viginti annos (Vs. 4.) illo in loco puellarum iter facientium catervam amico ostenderet?

Ad Vs. 8.

In Oriente feminae iter facientes solent sellis camelorum dorsis impositis velisque obductis insidere. De iis KAEMPFERUS in *Amoenitt. exott.* Fasc. IV. Relat. VII. §. p. 724. haec: *Abducendis aegris et nobiliorum feminis arculae serviunt, singulae ad ephippii latera affigendae. Ad caveae normam fabricatae sunt, pannoque subductae, ut in iis latere singulae possint.* Cf. RICH. POCOCKII *Descript. Orient.* P. I. p. 278. vers. teut., qui et iconem hujusmodi pilenti dedit Tab. LVIII. fig. b. et f., MORIER's *Second Journey through Persia* etc. p. 169. ubi itidem icon adjecta est, et DELLA VALLE *Itinerar.* T. I. Epist. XII. p. 126. vers. teuton. Non absimiliter LEBID *Moall.* Vs. 13. ed. de Sacy:

مِنْ كُلِّ مَحْفُوفٍ يُظِلُّ عِصِيَّهُ
زَوْجٌ عَلَيْهِ كِلَّةٌ وَقِرَامُهَا

Ex omni pilento, cujus ligna stragulum obumbrat ei impositum, conopeum tenuesque cortinae.

Pro عَلَوْنَ بِأَنْمَاطٍ proprie: *ascenderunt cum stragulis,* i. e. ea imposuerunt pilentis (vid. Glossar. s. v. عَلَا), in aliis codicibus, notante Zuzenios, legitur وعالين انمَاطًا, in aliis واعلين انماطًا i. e. *adscendere fecerunt,* imposuerunt *stragula,* sensu eodem. Porro alte-

rum Versus hemistichium codices nonnulli hoc modo exhibent: وراك الحواشى لونها لون عندم *Limborum rubicundorum color refert colorem sanguinis draconum.*

Ceterum Versus hic *octavus* in codice Lugdunensi et apud Jonesium est *nonus*, noster *nonus* apud illos est *decimus*, noster 10 apud illos 13, noster 14 apud illos 8vus, et eodem modo in reliquo carmine, et omnino in reliquis sex Moallacat, Versuum ordo in codicibus mirum in modum est turbatus.

Ad Vs. 12.

Laneos pannos, rubro colore tinctos, quibus pilenta sunt ornata, comparat baccis solani, cujus species plures, Arabiae proprias, descripsit Forskål in *Flora Aegypt. Arabica* p. 45. sequ. Quod vero pannos illos baccis solani *non conquassatis* similes esse ait, eo pertinet, quod, uti notat Zuzenius, baccae conquassatae colorem suum amittunt.

Ad Vs. 15.

Dicit puellas e valle Suban ascendisse, tum eam alterâ vice trajecisse (cf. Vs. 9.), quod iis in suo itinere bis occurreret. Haec Zuzenius.

Pro عَلَى كُلِّ قَيْنِيٍّ in aliis codicibus legi عَلَى كُلِّ حِيرِيٍّ *in omnibus Hirensibus*, i. e. in oppido Hira concinnatis sellis, notat Zuzenius.

Ad Vs. 16.

Prologo, quem Arabum ars poetica praescribit, rite praemisso (vid. not. ad Vs. 1.), transit nunc, seu potius transilit, poeta ad carminis argumentum, quod versatur in laudibus heroum nobilium, qui suarum facultatum profusione pacem inter tribus diuturno bello

divisas restituissent. Jurat vero poeta hic per *Caabam*, quae est aedes in medio templi Meccani, a forma quadrata nomen sortita. Eam cum hic dicit aedificasse Koreischitas et Dschorhomidas, id non de primis illius fundamentis intelligendum est, quum constanti inter Arabas fama Abrahamus et Ismaël Caabae conditores habeantur; vid. Ed. Pocockii *Specim. hist. Arab.* p. 218 seqq. edit. sec., Adr. Relandi *de relig. Muhammed.* p. 118., Herbelot *Biblioth. Orient.* s. v. *Caabah*, Muradgea d'Ohsson *Descript. Imper. Osman.* T. II. p. 93. vers. teuton. Sed loquitur poeta de Caabae instauratione, ab Ismaelis posteris, Koreischitis, facta. Videlicet Ismaëli peperit uxor, quam e Dschorhomidis duxit, filios duodecim, e quibus قيدار *Kidar*, Hebraeis קֵדָר dictus Genes. XXV, 13., a quo recta linea descendit فهر *Fehr*, قريش *Koraisch* cognominatus, cujus posteri *Koreischitae*, ob audaciam, a قرش, quod beluae marinae nomen; vid. Pocockium l. l. p. 46 — 50. Atque illi, postquam Caabae cura et custodia iterum ad eos devoluta esset, eam, vetere mole destructa, altius et pulchrius exstruebant; vid. Abilfedae *Annall.* T. I. p. 22 seqq. et *Monumenta vetustiora Arabiae*, quae edidit A. Schultensius Leid. 1740. p. 2 seqq. Zuzenius, Scholiastes, ad hunc Versum haec notat: „Dicit poeta: juravi per Caabam, quam obivere qui eam aedificaverant e duabus tribubus; Dschorhom erat vetus tribus, e qua Ismaël, cui sit salus! uxorem duxerat. Eo mortuo obtinuit illa locum sacrum (Meccanum) et Caabam. Debilitatis autem postea Dschorhomidarum rebus locorum sacrorum potiti sunt Khozaitae, a quibus illorum cura et custodia ad Koreischitas rediit.“ Quot et quantis contentionibus plures tribus de Caabae possessione inter se decertarint, exposuit pluribus Nuweirius, e cujus opere historico quae ad hanc rem pertinent a Reiskio latine reddita attulit Eichhornius in *Monumentis vetustissimis Histor. Arab.* p. 79 seqq. not. Quod poeta Koreischitas et Dschorhomidas Caabam *circumivisse* dicit, intellige de septenis solennibus illius circuitionibus, ab iis, qui hanc aedem sacram religionis causa adeunt, faciundis; vid. Relan-

DUM l. l. p. 117. De iis Amer, Dschorhomida, in Carmine quod edidit A. SCHULTENS in *Monumm. vetustt. Arab.*, ejusque Vs. 3.

وكنّا ولاة البيت من بعد نابت
نطوف بذاك البيت والخير ظاهر

Fuimusque praefecti aedis post Nabetum (qui filius Ismaëlis fuisse traditur, idem forsan qui Genes. XXV, 1. 3. נְבָיוֹת appellatur) *circuivimus aedem istam, eratque fortuna clarissima.* Eundem Versum adducit Abulfeda l. l., ubi vero postrema verba haec leguntur: والامر ظاهر *quae res est nota omnibus*, uti Reiskius vertit. IBN-DOREID in *Idyll.* Vs. 52. ed. Scheid. praecipuos peregrinationis Meccanae et sacrae aediculae visitationis ritus describens:

ثُمَّتْ طَافَ وَٱنْثَنَى مُسْتَلِمًا

Dein vero sacra defungantur circuitione et accedant ad osculandum lapidem, puta, nigrum, angulo Caabae exteriori insertum, quem candidissimum coelitus delatum fuisse fabulantur, sed nigredinem contraxisse ob hominum peccata.

Ad Vs. 17.

Ambo illi principes sunt Haremus Senani fil., et Hhareth Aufi fil., qui rara liberalitate pacem inter Absitas et Dhobianitas restituerunt, onus solvendi pretii pro expianda caede utrinque commissa in se suscipiendo; vid. Prolog. Ait illos pro animi nobilis indole, aeque pares esse negotiis expediendis in quibus minus laborum et molestiarum exantlandum sit, atque iis, in quibus contra adversae fortunae casus sit contendendum.

Ad Vs. 18.

Ghaidhi, Morrae filii, posteri, quibus Haremus et Hhareth accensebantur, fuerunt ramus tribus Dhobianitarum, notante utroque Scholiasta.

Ad Vs. 19.

Manschamam sunt qui dicant fuisse feminam seplasiariam, a qua homines unguentum quoddam emere solebant, quo qui in eo essent, ut ad bellum egrederentur, manus sibi inungentes foederequе invicem juncti jurejurando se obstrinxerunt, se hostes ad unum omnes interficere velle. Hinc unguentum Manschamae Arabibus est mali ominis res, et in adagium abiit. Alii tradunt, Manschamum fuisse aromatarium, qui unguenta ad condiendos mortuos vendiderit. Est igitur hujus Versus sensus hic: vos ambo composuistis res duarum illarum tribuum, Absitarum et Dhobianitarum, postquam bellum earum viros consumsisset, et unguentum mulieris istius eos contudisset, id est, postquam mutua caedes illos funditus perdidisset, aeque atque eos qui se unguento Manschamae imbuissent. Haec Zuzenius Scholiastes. Sunt vero non solum de nominis Mauscham pronunciatione, aliis Manscham, aliis Mascham (مَشْأم) efferentibus, verum et de ejus significatione et etymo sententiae admodum variae, quas diligenter recensuit Silv. de Sacy in Commentar. ad *Haririi Consess.* XLVI. p. 535. Vid. et Lexicon *Camus* Vol. II. p. 1699. edit. Calcutt., H. A. Schultens *Specim. Proverbior. Meidanii e vers. Pocockiana* (London 1777. 4.) p. 7., et J. L. Rasmussen in *Additamentis ad histor. Arabum ante Islamismum* (Havn. 1821. 4.) p. 74. coll. p. 38. 46.

Ad Vs. 21.

Sensum Zuzenius hunc esse ait: Vos ambo pretiosorum donorum profusione pacem inter tribus restituere studuistis, idque assequuti estis, aversati quod cognatae tribus sibi infestae essent.

Ad Vs. 22.

Maaddus erat filius *Adnani*, unius ex Ismaëlis posteris, Arabum insititiorum, المُسْتَعْرِبَة, patris. Cur autem Adnanum potius,

quam ipsum Ismaelem, vel aliquem e posteris ab ipso propiorem, tribuum patrem statuant, causa haec est, quod ad illum usque in Genealogiis suis inoffensa serie adscendebant, quum de iis, qui inter ipsum et Ismaelem intercesserint, controversum sit. Vid. Eichhornii *Monumm. antiquiss. hist. Arab.* p. 61. et 63. not., Abilfedae *Annall.* T. I. p. 14., et cf. Pocockii *Specim. hist. Arab.* p. 46. 174. edit. sec.

عَظِيمَيْنِ Zuzenius notat in Accusativo positum ad indicandum statum, in quo versentur ambo illi viri, quasi diceret: vos pacem assequuti estis, summa in dignitate et existimatione positi, quippe qui Maaddo oriundi generis nobilitate insignes estis.

Pro يَعْظُمْ, eodem illo Scholiaste notante, in aliis codicibus legitur يُعْظَمْ *honoratur*.

Ad Vs. 25.

Parvos camelos dicit, quoniam, notante Zuzenio, pro expiandis caedibus juvenci cameli quinquennes agilesque pendi solebant. Plurali fracto masculino إفال jungendum erat Adjectivum epithetum singulare femininum مُزَنَّمَةٌ (vid. *Institutt. ad fundamm. Ling. Arab.* Syntax. Reg. XXXVI. p. 286.). Sed nominibus formae فِعَال, quae tam de singulis, quam de pluribus in unum collectis usurpari possunt, licet, Zuzenio notante, Adjectivum singulare terminationis masculinae jungi.

Ad Vs. 26.

Amico, quem Vs. 7. alloquutus est, poeta mandat ad Dhobianitas, e quorum tribu erat foedifragus Hosein, eorumque foederatos hoc suum monitum perferre: obstrinxistis vos omnimodo jurejurando ad stabiliendum pacis negotium; jam igitur perjurii crimine desistite.

Ad Vs. 27.

Nolite, inquit, si dolum malum foederisque violationem in pectore foveritis, id Deum celare velle; novit enim Deus intima hominum cogitata.

Ad Vs. 28.

Nemo crimen committit impunitus; sive differatur vindicta in futuram post mortem vitam, sive sontem in hac vita assequatur.

Ad Vs. 30.

Dira belli semel incensi mala illis proponendo ad pacem fideliter conservandam eos instigat. Nil frequentius in Arabum carminibus, quam bellum comparari cum *igne*, cuncta involvente atque absumente. Cf. de hac imagine A. SCHULTENSII Not. ad *Excerpta ex Hamasa* p. 329. 455. Ejusdemque *Epistol. I. ad Menkenium* p. 52 seqq. Vid. et IBN DOREIDI *Idyll.* Vs. 60. 87.

Ad Vs. 31.

Adamata Arabibus, quam prius hujus Versus hemistichium continet, comparatio belli cum *mola*, durissima quaevis comminuente et disperdente. Exempla attulit A. SCHULTENS *de Defectt. Ling. Hebr.* p. 434 seqq. edit. Lugd. Bat. 1761., ad *Excerpta ex Hamasa* p. 327. et ad *Florileg. Sententiar.* ad calc. Grammaticae Erpenianae a se editae Lugd. Bat. 1770. p. 181 seqq. Eadem imagine usus AMRU *Moall.* Vs. 30. 31. edit. Kosegarten.:

مَتَى نَنْقُلْ إِلَى قَوْمٍ رَحَانًا
يَكُونُوا فِى ٱللِّقَاء لَهَا طَحِينَا
يَكُونُ ثِفَالُهَا شَرْقِىَّ نَجْدٍ
وَلُهْوَتُهَا قُضَاعَةَ أَجْمَعِينَا

Quando admovemus ad aliquam tribum molam nostram, fiunt, quicunque ei occurrant, farina; pannus molaris ei est ad orientem Nedschdi, atque omnia ejus grana fiunt pulvis. In altero Versus hemistichio Noster alia similitudine usus infert bellum, et quae cum eo conjuncta sunt mala innumera, sub figura camelae, infausto foetu gravidae, gemellosque monstra horrenda enixae. Ad hunc Versum vix dubium est pertinere illud Scholion, quod A. Schultens in Nott. ad *Monumenta vetustiora Arabum* p. 66. ut *Scholion ad Moallacah Zoheir* adducit, sed nec indicato Scholiastae nomine, nec Versu, ad quem illud pertineat. Est vero tale: شبّه الحرب بالناقة لانه جعل ما يحلب منها ما يحلب من الناقة من الدماء بمنزلة من اللبن كما قال بعضهم يمرى قوادم كل حرب لاقح *Comparat bellum cum camela, quia quod in illo emulgetur sanguinis conferre volebat cum lacte emulso camelae. Ita poeta quidam: emulget anteriora* ubera *omnis belli praegnantis.* Eadem imago in hoc Moatteli Versu, quem ex Anthologia Hudeilitarum l. l. attulit Schultens:

تَجَرَّدَتْ حَرْبٌ يَكُونَ حِلَابُهَا

عَلْقًا يَمْرِيهَا ٱلْغَوِىُّ ٱلْمُبْطِلِ

Destrictum bellum est, cujus quidem mulsio merus cruor, quem presset perdite vesanus.

Ad Vs. 32.

Bellum malis foecundum comparat matri quae parit filios tantam parentibus perniciem adducentes, quantam Aaditis invexit ille, quem Poeta *Rubrum*, i. e. atrocem (vid. Glossar. s. v. حمر) *Aaditarum* appellat, qui et *Ruber Themudaeorum* vocatur, uti Scholiastes uterque notat, addens, illum esse Kedarum, Salefi filium, qui camelae

suffragines succiderit. Res, quam Scholiastae, ut suis satis notam, exponere haud necesse ducebant, haec fuit: Ad Themudaeos, antiquam Arabum tribum, qui initio Aadensium, ob impietatem in Deum dira clade exstinctorum, regionem tenuerunt, missus erat propheta, *Saleh* (صالح) nomine, qui a plurium ad unius Dei cultum invitaret. Cui pauci admodum paruerunt, ceteris signum petentibus, quo impleto se etiam credituros polliciti sunt. Signum hoc fuit, ut e rupe quadam camelam ipsis educeret. Impetravit hoc Saleh a Deo: prodiit e rupe camela immanis magnitudinis, quae statim pullum jam ablactatum, haud minoris matre magnitudinis, enixa est. Camela autem illa interdiu exibat ad pascua, ubi, cum ad puteum aut rivum venit, omnem ebibebat; adventante vero nocte redibat, et circumiens domos civitatis clamabat: si quis eget lacte, egrediatur! Hoc modo civibus suppeditabat lac, quantum volebant. Sed quia hujus camelae deformitas atque vastitas ceteros armentorum greges a pascuo deterreret, mulier quaedam, cui *Oneizae* nomen, valde opulenta, quatuor filias splendide exornavit, easque exhibuit homini cuidam, nomine *Kedar*, Salefi filio, ut acciperet ex iis unam, quam ipse vellet, cum pacto, ut camelam illam occideret. Assensus est ille, et electa una e puellis egressus est cum octo sociis, quorum ope camelam, succisis suffraginibus, occidit; quo facto provocatus Deus Themudaeos omnes, exceptis paucis illis, qui prophetae invitationi paruerunt, post triduum, horrido fragore coelitus demisso, perdidit; ut igitur unius hominis impietas toti genti ruinam adduceret. Ad hanc inflictam Themudaeis poenam loco haud uno Corani alluditur, e cujus enarratoribus rem exposuit MARRACCIUS in *Prodromi ad Refutat. Alcor.* P. IV. p. 92. 93., vid. eundem ad Cor. Sur. VII. Vs. 73. p. 283. Cf. SALE *Dissertat. praelim. in Coran.* p. 593. not. e., HERBELOT *Biblioth. orient.* s. v. *Gebrail*, et *Excerpta ex Abulfeda de rebus Arabum ante Mohammedem* edita a SILV. DE SACY ad calcem *Specim. Hist. Arab. auct. Ed. Pocockio* sec. edit. Oxon. 1806. p. 422.

Jones hunc Versum sic vertit: *She brought forth Distress and Ruin, monsters fullgrown, each of them deformed as the dun camel of Aad; she then gave them her breast, and they were instantly weaned.* Per احمر عاد igitur camelam illam, quae in Aaditarum quondam terra prodiit, significari, illique camelae comparari bellum ob deformitatem et immanitatem putavit. Sed refragatur huic sententiae uterque Scholiastes, ut vidimus.

Ad Vs. 33.

Per sarcasmum poeta ait bellum illud suis auctoribus largiorem proventum, malorum puta, protulisse, quam frugum copiam producunt suis incolis pagi et villae Iracae, celebres illae ob territorii ubertatem; vid. quae de nomine سواد العراق e Meidanensi attulimus in den *Fundgruben des Orients* P. II. p. 199.

Ad Vs. 34.

Rem, de qua loquitur poeta, ita enarrat Zuzenius: Wardus, Habesi filius, Absida, occiderat Haremum, Dhemdemi filium, Dhobianitam, antequam utraque tribus pacem fecissent. Dum vero de pace componenda utrinque ageretur, abdidit se Hosein, ne videlicet ad pacis ineundae societatem requireretur. Captavit autem occasionem potiundi alicujus Absitae, cujus caede fratrem occisum ulcisceretur. In talem quum incidisset, eum interfecit. Quo facto irruerunt Absitae, occisum contribulem ulturi; sed componebatur res inter utramque tribum soluto ab Haremo et Haretho sanguinis pretio. Cf. supra Vs. 19 — 24.

Ad Vs. 35.

Notat Zuzenius, poetam dicere فَلَا هُوَ أَبْدَاهَا pro فَلَمْ يُبْدِهَا, Praeterito usurpato praemisso لَا loco Futuri apocopati praemisso لَمْ. Ita et Sur. LXXV, 31. legi فَلَا صَدَّقَ وَلَا صَلَّى *neque credidit neque*

oravit, pro وَلَمْ يُصَدِّقْ وَلَمْ يُصَلِّ. Et Sur. CX, 11. فَلَا ٱقْتَحَمَ ٱلْعَقَبَةَ *nec transcendit acclivitatem*, pro لَمْ يَقْتَحِمْهَا. Eodem modo Ommia Ibn Abi Salt dicit: *Si condones, o Deus, peccata, cumulate ea condona, nam quisnam tibi est servus*, لَا أَلَمَّا *qui non peccet*, pro لَمْ يُلِمَّ بِٱلذَّنْبِ *qui non cum peccato natus sit?* Poeta quidam alius: *quodnam factum praeclarium* لَا فَعَلَهُ quod *non fecerit*, pro لَمْ يَفْعَلْهُ.

Ad Vs. 36.

Quando, inquit, me Absitae aggredientur, pro tribulis sui caede poenam a me repetituri, eorum impetum sociis, equitibus strenuis et fortibus, propulsato. *Equos capistratos* dixit pro viris qui capistratis equis insident.

Ad Vs. 37.

Audaci impetu irruit Hosein in virum, quem fratrem ulturus occidere sibi proposuerat, nec absterruit eum metus mortis sibi ab iratis Absitis exspectandae. *Mater vulturum* vocatur *mors*, quia occisorum cadavera vultures allicere solent.

Ad Vs. 40.

Jam dimisso Hoseino, cujus petulantem audaciam et temeritatem Versibus qui praecedunt descripsit, redit ad depingendos belli horrores. Sensum hujus et proximi Versus uterque Scholiastes recte ait hunc esse, tribum utramque, intermisso paulisper bello, iterum iterumque proelia redintegrasse, cladibusque se invicem attrivisse. Etenim bellum Absitas inter et Dhobianitas quadraginta annos saeviisse tradunt; vid. Notit. de Zohairo e Reiskio Prol. praemiss. Ad imaginem hoc Versu a poeta adhibitam recte percipiendam omnino tenendum est, Arabum poetas *aquatum ire* dicere eos, qui in proelium descendunt, et multa

caede, multo sanguine per hostes grassantur. Plura exempla attulit A. SCHULTENS in *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 6. §. 25. p. 92 seqq. edit. Leid. 1761. Adscribo unum ex Rabiae, Dschedari filii, poemate, in Anthologia Hudeilitarum:

وكيف يلام المرء الساعد اكيله
اذا ورد الحوض الذى هو وارده

Et qui vituperetur vir sodali opem praestans? cum in eundem cum eo lacum aquatum descenderit? Ubi Scholiastes: اراد بالحوض شدة الحرب *intelligit per lacum proeliorum vehementiam.* Quod vero ad *duplicem aquationem* hoc Versu commemoratum attinet, notandum est, solere Arabes camelos prima aquatione rigatos in locum circa aquas, ubi paulisper recumbunt, agere, ut, postquam altera vice sitim restinxerint, pascuo reddantur. Vid. A. SCHULTENSII *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 7. §. 2. p. 105.

Ad Vs. 41.

Restincto per aliquod tempus bello sese ad id renovandum accinxerunt, id quod pabulum insalubre et noxium appellat.

Ad Vs. 42.

Redit ad laudem eorum qui soluto sanguinis pretio pro caede ab Hoseino commissa pacem restituerunt, eosque dicit insontes esse sanguinis illorum quos Versu hoc et proximo in bello illo occisos commemorat.

Ad Vs. 43.

Verbum femininum شَارَكْتْ, monente Zuzenio in Scholio ad Vs. 42., referendum est ad nomen collectivum رِمَاح *hastae* Vs. 42. „Declarat," inquit, „immunitatem a culpa effusi sanguinis, id quod

ad laudem illorum augendam facit, qui, quamvis insontes, tamen sanguinis pretium solverunt.“ Nahasus verbum شَارَكَتْ refert ad الحرب *bellum*, nomen generis feminei terminatione masculina. *Bello* vero *bellatores* significari ait, quemadmodum Sur. XII, 8. وَٱسْأَلِ ٱلْقَرْيَةَ *et interroga urbem*, i. e. incolas urbis. Ad الحَرْب certe erit suffixum femininum in مِنْهَا referendum. Verba وَلَا رَهِبَتْ مِنْهَا *nec timent* scil. hastae eorum *ab eo* scil. bello, hoc sibi volunt, eos non ignaviâ a belli illius societate abstinuisse.

Pro وَلَا شَارَكَتْ فِى ٱلْمَوْتِ in aliis codicibus, uti notat Zuzenius, legitur وَلَا شَارَكَتْ فِى ٱلْقَوْمِ *nec participes fuerunt in populo*, sive inter ceteros. Pro وَلَا رَهِبَتْ مِنْهَا in codice Lugdunensi et apud Jones legitur وَلَا وَهْبٍ مِنْهَا quod Jones expressit: *nor that* (the blood) *of Waheb.*

Ad Vs. 47.

Hoc Versu incipit postrema carminis pars, qua poeta sententias nonnullas et prudentiae praecepta profert, quae multorum annorum experientia ipsum docuit.

Ad Vs. 54.

Omnibus instat mors; vocordis igitur est, periculis aliorum defendendorum causa subeundis, ignaviter se subtrahere. *Prae mortis metu scalam ascendere* occurrit quoque in hoc Hoseini, Morraei, in A. Schultensii *Excerptis et Hamasa* p. 524.

فَلَسْتُ بِمُبْتَاعِ ٱلْحَيَوةَ بِذِلَّةٍ

وَلَا مُرْتَقٍ مِنْ خَشْيَةِ ٱلْمَوْتِ سُلَّمَا

Non enim is sum, vitam qui vilitate emerit, neque qui scalam metu mortis ascendat.

Ad Vs. 56.

Qui ad aequas pacis conditiones accedere recusat, bello diutius continuato eo redigitur, ut submissum et lenem se praebere debeat. Est vero qua poeta utitur loquendi formula, Zuzenio notante, hinc desumta, quod cum duo Arabum agmina sibi infesta invicem occurrebant, utrinque inferiora hastarum ferramenta obvertebant, paratos se ad pacem componendam ostendentes; cum vero in bellando perseverare animus iis erat, hastis versis earum acuminibus longioribus sibi occurrebant.

Ad Vs. 57.

„Hoc," inquit Zuzenius, „dicit poeta: si quis hostes a sua cisterna non repellit armis suis, illam mox dirutam videbit, et qui non prior alios invadit, eum illi invadent. Sensus est, qui sibi cara et sacra non defendit, is illa cujuscunque libidini permittere reputatur. *Cisternâ* metaphorice utitur pro omnibus iis quae aliis prohibita sunt." Eandem sententiam plenius effert Ibn Doreid Vs. 152. 153. ed. Scheid.

مَنْ ظَلَمَ ٱلنَّاس تَحَامَوْا ظُلْمَهُ

وَعَزَّ عَنْهُمْ جَانِبَاهُ وَٱحْتَمَى

وَهُمْ لِمَنْ لَانَ لَهُمْ جَانِبُهُ

أَظْلَمُ مِنْ حَيَّاتِ ٱلسَّفَا

Qui injuria adficit homines, ab eo injuria adficiendo cavent; hujusque demum latera contra illos probe firma sunt et munita;

At vero cujus molle est erga ipsos latus, in hunc iniquiores sunt serpentibus tumulorum, i. e. in tumulis, sepulcretis, puteisve effossis latitantibus.

Ad Vs. 58.

Qui in itinere esse et peregrinari solet, inimicos suos pro amicis habet, propterea quod illorum animos non exploravit, nec experimentis eorum indolem cognitam habet. Qui se ipse generosum non ostendit, a facinoribus vilibus et indignis se abstinendo, eum nec homines honore prosequentur.

Ad Vs. 61.

Quam multos, dum siluerunt, es admiratus et viros egregios reputasti! Sed quanto aliis vel praestantiores, vel inferiores essent, tum demum, cum loquebantur, apparuit.

Ad Vs. 62.

Simile dictum Arabes frequentant: *vir duobus suis minimis membris constat, lingua et corde suo.*

Ad Vs. 63.

Eodem collineat hic Salechi Ben-Abdi'l Kodusi Versus a Zuzenio adductus: *Senex haud missam facit suam indolem, donec quam conspicis umbram inclinantem ejus tumulus occultat.* „فَىْءٌ *umbra huc illuc inflexa*, speciatim *pomeridiana.* Imagine *umbrae* quoque utuntur Arabes in corpore enecto, evanido, viribus defecto, ut σκιὰν Graeci traduxere." A. Schultens ad *Haririi Consess. VI.* p. 245., ubi legitur: شَيْخٌ حَكَاهُ فَىْءٌ *senex cui similis est umbra pomeridiana.*

GLOSSARIVM
ARABICO-LATINVM.

Signa et Notae compendiariae, quae in hoc Glossario passim occurrunt, explicatae sunt in limine Glossarii, quod Institutionibus nostris ad fundamenta linguae Arabicae est adjectum.

Numeri adscripti indicant Versus.

ا

أَبُو Pater. لَا أَبَا لَكَ *Non est pater tibi!* Quae proprie conviciandi formula nonnunquam adseverat, et ad attentionem excitat: profecto! sane! 47.

أَتَى *Fut. I.* Venit, advenit. III. أَاتَى, وَاتَى Convenit, consensit, adstipulatus fuit; *it.* obedivit, morem gessit. 34.

أَثِمَ *Fut. A.* Iniquitatem commisit, culpam commeruit, peccavit. مَأْثَمٌ Iniquitas, crimen. 21. Ad quem loc. Zuzenius: مَأْثَمٌ i. q. إِثْمٌ *crimen.* Verbum أَثِمَ *Fut.* يَأْثَمُ denotat in crimen incurrit, reus evasit; sed: أَثَمَهُ اللّٰهُ إِثَامًا imputavit ei Deus delictum, retribuit ei pro crimine; in Conjug. IV. adduxit impulitque ad committendum crimen; in Conjug. V. declinavit crimen, abstinuit ab eo, ut جَرَحَ vulneravit, in Conj. V. est: abstinuit a vulnerando, حَنِثَ improbus fuit, V. continuit se cavitque a crimine; حَوِبَ peccavit, V. abstinuit a peccato.

أَخَّرَ II. Distulit, tardavit, procrastinavit. 28.

أَسَدٌ Leo.

أَفِيلٌ Parvus camelus. Pl. إِفَالٌ. 25.

أَلَا Annon? *composita e* negandi *particula et* interrogandi *nota. it. Particula excitandi:* age! agedum! 6.

أَلْفٌ Mille.

أُمٌّ Mater. أُمُّ أَوْفَى Mater praestantioris, *nomen mulieris, quam amavit Zohair.* 1.

أَمْرٌ Res, negotium. *Pl.* أُمُورٌ.

أَمْسِ Dies hesternus. أَلْأَمْسَ heri. 48.

أَمِنْ *composit. e Praeposit.* مِنْ *ex, et* أَ *interrogandi nota.* 1.

أَنِقَ Gavisus et laetatus fuit; *it.* gratum carumque habuit.

أَنِيقٌ Pulcher, egregius, ac placens. 11. Zuzenius notat, significare eum, qui admiratione afficit, et Adjectivum formae فَعِيلٌ habere significationem Participii Conjug. IV., ut أَلِيمٌ dolorem inferens in Corano pro مُؤْلِمٌ. Similiter حَكِيمٌ, ejusdem formae, obtinere significatum Participii passivi مَحْكُومٌ; item سَمِيعٌ i. q. مُسْمِعٌ qui audire facit.

ب

بُجَيْرٌ *Diminutivum Adjectivi* أَبْجَرُ, umbilici exitu et tumore laborans, herniosus; *it. nom. propr.* filii Zohairi, vid. Freitagii Praefat. ad *Carmen Caabi Ben - Sohair in laudem Mohammedis* (Hal. 1823.) p. XII. seqq.

بَخِلَ Parcus, tenax et avarus fuit, talemque se praebuit *hac vel illa re erga aliquem, c c* على *p et* ب *r.* 52.

بَدَأَ Incepit, exorsus fuit, *c c* ب *r.* يَبْدَ *Fut. apocop.* 39.

بَدَا (pro بَدَوَ) Exivit; *it.* apparuit, visum fuit. IV. Manifestum et conspicuum fecit. 35.

بِرٌّ Pietas, justitia, innocentia. 53.

بَرَمَ II. Torquendo convertit, *uti fusum, quo moto duci posset filium;* IV. i. q. أَحْكَمَ firmavit stabilivitque *negotium; propr.*

firmum reddidit aliquid ex pluribus partibus in unum contorquendo.

مُبْرَمٌ Ex duabus aut pluribus partibus in unum contortum; *it.* negotium difficile et implicatum. 17.

بَزَلَ *Fut. O.* Fidit, i. q. شَقَّ. V. i. q. تَشَقَّقَ fissus fuit. 18.

بَصَرَ Vidit, conspexit; V. bene et distincte vidit, consideravit. 7.

بَعَثَ Misit; *it.* excitavit. 30.

بَعِدَ Distitit, longius abfuit.

بُعْدٌ Longinquitas, distantia.

بَعِيدٌ Distans, dissitus.

بَعْدَمَا Posteaquam. 18. 19.

بَكَرَ *Fut. O. nom. act.* بُكُورٌ Diluculo fuit, surrexit, abivit, venit. 10.

بَلَغَ *Fut. O.* Pervenit; IV. fecit ut quid aliquo perveniret. 26.

بَنَى *Fut. I.* Struxit, aedificavit, condidit. 16.

بَاحَ (pro بَوَحَ) *Fut. O.* Apparuit, manifestus fuit; *it.* manifestavit, aperuit. X. licitum esse censuit et voluit, communis juris fecit rem, eamque cujusque cupiditati permisit; *it.* exstirpavit. 22.

بَيْتٌ Domus, tentorium; 37. *it. pecul.* templum Meccanum, 16.

بَيْنٌ Separatio, distantia, intervallum, بَيْنَ Inter.

ت

تَأَمَ Socium habuit in partu fratrem. IV. Gemellos peperit femina. 31.

تَبَلَ Debilitavit aegrumque reddidit, afflixit, perdidit.

تَبْلٌ Malevolentia, odium, ultio, vindicta. 46.

تَلَدَ *Fut. O.* Antiqua fuit et nata apud te ac vernacula *res quam possides.* تِلَادٌ Opes seu res quam possides vetusta et apud te nata, vernacula. 25.

تَمَّ Totus, integer, perfectus, absolutus fuit; *it. transitive* absolvit. 40.

ث

ثِفَالٌ, ثُفَالٌ, ثَفَالٌ Quod supponitur trusatili molae, ne dispergatur farina. 31.

ثَفَا (pro ثَفَوَ) II. Chytropode fulsit ollam.

أُثْفِيَّةٌ, إِثْفِيَّةٌ, *Pl.* أَثَافِيُّ et أَثَافِي, chytropus, lapides, quibus olla lebesve imponitur (ferreum ollae sustentaculum, ut Zuzenius notat, vocatur مِنْصَبٌ, *Pl.* مَنَاصِبُ). 5.

ثَلَمَ Fregit. II. Multis cum incisuris mediaeque partis foraminibus fregit. V. id.

مُثَلَّمٌ *Partic.* II. *cum articulo nom. propr. viri cujusdam in bello Absitas inter et Dhobianitas occisi.* 42.

مُتَثَلِّمٌ *Partic.* V. *cum articulo nom. loci alicujus.* 1. Cf. WILLMETI Not. ad ANTARAE *Moall.* ed. Menil p. 122.

ثَمَنَ Octavus fuit.

ثَامِنٌ Octavus. ثَمَانُونَ Octoginta.

ج

جَثَمَ *Fut. I.* et *O.* In pectore decubuit; *it.* substitit in loco.

مَجْثِمٌ Locus procubitus. 3.; vid. not. ad eum loc.

جُدٌّ Puteus pascuo propinquus; *it.* puteus antiquus. 5. (ex var. lect. apud Zuzenium).

جِذْمٌ Radix, truncus. 5.

جَرَّ Traxit, trahendo duxit, 42.; *it.* perfidus egit; *it.* falso imputavit *ei*, *et* accersivit *in se ipsum delictum et crimen*, cc على *p* et *c c a r*, 34.; i. q. جنى عليه جناية imputavit illi crimen quod non commisit.

جُرْثُمٌ Nom. propr. aquae. 7.

جُرْهُمٌ Nom. propr. tribus cujusdam Arabicae. 16.

جَرُؤَ Animosus et audacia praeditus fuit.

جُرْأَةٌ Audacia.

جَرِيٌّ Qui aliis ad pugnam praeit, strenuus, audax. 39.

جَرَى *Fut. I.* Fluxit, cucurrit, processit; *it.* accidit, factum fuit. 25.

جَزَعَ Trajecit, transivit. 15. *Ad probandam* transeundi *significationem*, quam Verbum جزع *inter alias obtinet*, *Zuzenius affert Versum quendam Amralkeisi poetae*, *qui Latine ita sonat:* Mane diei crastini moerore te afficiet vallis Nachcat, *i.e. qui in ea valle degunt;* postremus eorum transit *elatiorem* regionis *Caicabae partem. Sed*

pro نخكلة, *in quo nomine sunt duae literae incompatibiles* خ *et* ك (vid. *Institutt. ad fundamm. l. Arab.* p. 18.), *vix dubito legendum esse* نخلة, *cujus nominis vallem in regione Hedschaz commemorat* Abulfeda; vid. Christ. Rommel *Abulfedae Arab. Descript.* p. 70.

جَعَلَ Posuit, collocavit; *it.* fecit, effecit. 51.

جَمَّ *Fut. I.* Multus fuit vel evasit, abundavit; *it.* confluxit aqua.

جَمَّةٌ Locus putei, ubi colligitur confluitque aqua. *Pl.* جِمَامٌ conceptacula aquae, plena stagna.

جَمْجَمَ II. Obscure et indistincte loquutus est, mussitavit; *it.* confusus fuit. 53.

جَنَى *Fut. I.* Crimen peccatumve commisit.

جَانٍى Qui peccat, injuste agit. 46.

ح

حَبٌّ Bacca, granum. 12.

حَجَمَ *Fut. O.* Cucurbitas imposuit.

مِحْجَمَةٌ et مِحْجَمٌ Cucurbitula, ampulla vitrea qua ad cutem attrahitur sanguis. 24.

حَجَّ Contendit aliquo et intendit.

حِجَّةٌ Annus. *Pl.* حِجَجٌ. 4.

حَدَثَ Contigit, evenit.

حَدِيثٌ Quod recens evenit; *it.* dictum vel factum, nuncius, historia. 29.

حَرْبٌ Bellum.

حَرَمَ *Fut. I.* Prohibuit. 64. حَرُمَ Vetitum et illicitum fuit. IV. Illicitum fecit.

مُحْرِمٌ Cui est cum alio foederis et clientelae vinculum, ut eum aggredi non liceat. 14.

حَزْنٌ Terra dura et salebrosa. 14.

حَسِبَ *Fut. A.* et *I.* Putavit, opinatus fuit. 58.; *it.* computavit.

حِسَابٌ Computus. 28.

حَاشِيَةٌ Limbus, ora vestis. *Pl.* حَوَاشِى. 8.

حَصُنَ Firmus munitusque fuit.

حَصِينٌ Munitus. حُصَيْنٌ

Nom. propr. viri; vid. not. ad Vs. 34.

حَضَرَ *Fut. O.* Praesens fuit venitve, incoluit.

حَاضِرٌ Coram consistens, incola; *speciat.* oppidanus, fixum habens locum. 13.

حَطَمَ *Fut. I.* Fregit. 12.

حَلَّ *Fut. O.* Solvit *nodum; it.* descendit; *pecul.* ex itinere diversatus fuit, substitit, quievit.

حَالٌّ Qui alicubi descendit et commoratur. *Pl.* حِلَالٌ, uti, notante Zuzenio, a صَاحِبٌ *Pl.* est صِحَابٌ, a صَايِمٌ *Pl.* صِيَامٌ, a قَايِمٌ *Pl.* قِيَامٌ. 45.

مُحِلٌّ *Partic.* IV. Qui non est foedere junctus. 14.

حَلَفَ Juravit.

حَلِيفٌ Foederatus, socius. *Pl.* أَحْلَافٌ, ut a نَجِيبٌ generosus *Plur.* est أَنْجَابٌ, a شَرِيفٌ nobilis, *Pl.* أَشْرَافٌ, a شَهِيدٌ testis, *Pl.* أَشْهَادٌ. 26.

حَلُمَ Intelligens fuit vel factus est.

حِلْمٌ Intelligentia. 63.

حَمِدَ Laudavit.

حَمْدٌ Laus. 55.

حَمَّ XI. Rubuit.

أَحْمَرُ Ruber, ruffus. 32.

حَمَلَ *Fut. I.* Portavit, sublatumque gestavit *onus.* II. Oneravit, fecit jussitque ut portaret onus. 7. (ubi تُحَمِّلَنَّ legend.) X. Suscipere in se et portare voluit, *vel* ut hoc *quis* faceret rogavit. 59. (e lect. var.).

حَاجَ (pro حَوَجَ) *Fut. O.* Opus et necesse habuit.

حَاجَةٌ Res necessaria, negotium tale. 36.

حَوْضٌ Piscina, conceptaculum aquae majus lapidibus exstructum, *sive ad lavandum sive ad irrigandum.* 5. 57.

حَالَ (pro حَوَلَ) Praeteriit, transiit, *pec.* annus.

حَوْلٌ Annus. 47.

حَالٌ Status, dispositio, modus.

حَوْمَانَةٌ Locus durus, petrosus tritusque.

حَوْمَانَةُ الدَّرَّاجِ nom propr. loc. 1.

حَيَّ *pro* حَيِيَ *et hoc pro* حَيِوَ Vixit.

حَيَاةٌ Vita. 47.

حَيّ Familia, pars magnae tribus, minor quam شَعْب tribus magna et primaria, primi patris nomine insignis. 34.

حَيْثُ Ubi.

خ

خَبَطَ Anteriore pede *terram* percussit camelus. خَبْط *Nom. act.* خَبْطَ عَشْوَاء Camelae more imbecilli visu terram pede quatientis, nec quicquam caventis. Cf. A. SCHULTENS ad *Haririi* Consess. V. p. 122. et DE SACY Commentar. ad Harir. p. 207.

خَرَمَ Resecuit, succidit *aliquid de re*.

مَخْرِم *Pl.* مَخَارِم Supercilium montis prominensque ejus vertex, aut qua parte ille abrumpitur desinitve. 44.

خَطِئَ *Fut. I.* Aberravit a scopo, eum non tetigit; 49., ubi وَمَنْ تَخْطِى, notante Zuzenio, pro وَمَنْ تَخْطِئْهُ, non expresso objecto, positum.

خَفِيَ *Fut. A.* Occultus et clam fuit, latuit. 60. خَفَا *Fut. I. et O.* Occultavit. 27.

خَلَّ *Fut. O.* Amicus fuit.

خَلِيل Amicus. 7.

خَلَفَ Venit post vel pone alium, in locum successit ei.

خِلْفَة Res post aliam consequens.

3. Ita, ut observat Zuzenius, in Corano Sur. XXV, 63. de diei noctisque vicissitudine usurpatur.

خَلَقَ *Fut. O.* Efformavit, creavit.

خَلِيقَة Natura, indoles, quicquid a natura inditum. 60.

خَارَ (*pro* خَيَرَ) *Fut. I.* Bene habuit, bono statu fuit.

خَيْر Bonum.

خَالَ (*pro* خَيَلَ) Imaginatus et opinatus fuit, putavit. 60.

خَامَ (*pro* خَيَمَ) V. Tabernaculum fixit aliquo loco. 13.

خَيْمَة Tabernaculum.

د

دَرَجَ Ascendit per gradus.

دَرَّاج Erinaceus. حَوْمَانَةُ الدَّرَّاجِ nom. propr. loci. 1.

دَرَكَ Persequutus fuit, comprehendit, assequutus fuit. VI. id.; *it.* reparavit, resarcivit. 19.

دِرْهَمٌ Nummus, *pecul.* numisma argenteum, qualia XX., subinde XXV., valebant دِينَارٌ aureum unum. *Est quoque* nomen ponderis XII قَرَارِيط ceratiorum. 33.

دَقَّ Subtilis, minutus fuit; *it.* contudit, *ut in mortario.* 19.

دَلَّ Duxit, direxit, monstravit; *it.* limis adspexit, II. lusit, deliciatus fuit *amantium* more.

دَالٌّ, دِلَالٌ Qui limis fit intuitus; *pecul.* amantis. 9. Versus a Nachaso Scholiaste ad eum loc. allatus Latine ita sonat: „Quando advenit *chara*, limis subridens ocellis, lente sequitur amicus, tacitasque et blandas auribus ejus committit voces."

دَمٌ Sanguis; *it.* vita. Vs. 15. بِٱلدَّمِ, notante Zuzenio, est pro بِسَفْكِ الدَّمِ *effusione sanguinis*, omisso nomine regente, soloque posito nomine recto.

دِمْنَةٌ *Plur.* دِمَنٌ Tentoriorum vestigia nigricantia fimo et cinere aliisque sordibus. سرجين, quo utitur Zuzenius, est vocabulum Persicum سركين fimus.

دَارَ *Fut. O.* Circum ivit, gyrum egit.

دَارٌ *femin.* Domus, habitaculum, locus habitandus, mansio. 2.

دَانَ (pro دَوَنَ) Inferior fuit.

دُونٌ Quod inferius est. مِنْ دُونَ Infra, sub; *it.* longe a, 51., ut in Corano Sur. II, 88. (Maracc. 94.): *Si vobis fuerit domus novissima apud Deum* (in Paradiso) خَالِصَةً مِنْ دُونِ النَّاسِ *electa* longe *ab hominibus.* Zuzenius verba مِنْ دُونِ عِرْضِهِ exponit: repellendo hominum vituperationem a sua existimatione.

ذ

ذُبْيَانُ Nom. propr. tribus alicujus Arabicae. 19.

ذَخَرَ II. Reposuit in futuri temporis usum, recondidit in thesaurum. 28.

ذَمَّ Vituperavit. يُذْمَمْ *Fut. apoc. Pass. e dialecto*, *ut notat Zuzenius*, *Hedschasica*, *quae utramque radicalem geminatam non contrahere, sed distincte enuntiare solet.* 52.

ذَمِيمٌ Vituperatus, vituperandus, pravus. 30.

ذَادَ (pro ذَوَدَ) Pepulit, abegit, repulit. 57.

ذَاقَ (pro ذَوَقَ) *Fut. O.* Gustavit. 29.

ر

رَأَى Vidit.

رَبْعٌ Domus, mansio, *pec.* verna. 6.

رَجَعَ *Fut. I.* Rediit, reduxit; iterum fecit, iteravit; *it.* calamum super scripturam duxit, ut clarior appareat.

مَرَاجِيعُ *Plur. nom.* مَرْجُوعٌ Reditus, quicquid redit; *it.* ductus redintegrati picturae manus. 2.

رَجَلَ Pedem illigavit.

مِرْجَلٌ Ahenum, cacabus ex terra. 5.

رَجَمَ Lapidavit.

مُرَجَّمٌ Dubium et conjecturae obnoxium *dictum,* quod certo nescitur verumne sit an falsum; *quasi* rejectum, reprobatum. 29.

رَحَلَ *Fut. A. et O.* Instruxit camelam sellâ, oneravit sarcinâ. stratis. X. Rogavit ut sibi ita faceret; jumenti vectarii loco aliquem habuit. 59.

رَحْلٌ Mansio ubi quis in itinere subsistit; *it.* sella camelina, et quae eo spectant strata; supellex et strata, quae quis secum sumit et asportat. 37.

رَحًى Mola.

رَسٌّ Nom. propr. vallis. 10. *In Corano* Sur. XXV, 40. *est nomen putei in regione Midianitarum.*

رَسَلَ Nuncium misit.

رِسَالَةٌ Missio, legatio, nuncius. 26.

رَضَعَ *Fut. A.* Suxit, lactebat matrem. IV. Lactavit *mater.* 32.

رَعَى Pavit, pastum ivit *pecus; it.* pavit gregem pastor. 40. *Verbum hoc,* inquit Zuzenius, *est et simpliciter transitivum, ut si dicas* رعى الماشية الكلاء depavit pecus pabulum; *et dupliciter transitivum,* hoc modo: رعيت الماشيةَ الكلاء egi pecus pabulatum. *Et* رَعْيٌ *est* pabulum ipsum. 40.

رَقَمَ Notavit, acu pinxit.

رَقْمَةٌ Hortus floridus, campus amoenus; *it.* pars vallis in qua colligitur aqua.

رَقْمَتَانِ Duo loca, quorum alter haud procul Basra, alter haud procul Medina. 2.

رَقِىَ *Fut. A.* Ascendit per scalam. 54.

رَكِبَ *Fut. A.* Vectus fuit, inequitavit. II. Alterum alteri inseruit, *ut cuspidem telo*, c c a r. 56.

رُمْحٌ *Pl.* رِمَاحٌ Hasta, lancea. 42.

رَهِبَ *Fut. A.* Timuit, c c مِنْ p.

رِئْمٌ *Pl.* آرَامٌ Dorcas puro conspicuus candore. 3.

ز

زُجٌّ *Pl.* زِجَاجٌ Cubiti extremitas; *it.* ferramentum in inferiore extremitate hastae, hastae inferius ferramentum. 56.

زَرِقَ Glaucus fuit *oculus*.

أَزْرَقُ *Femin.* زَرْقَاءُ Coeruleos, caesios habens oculos, *it.* valde clarus, limpidus. 13.

زَنَّمَ II. Notis insignivit; *it.* partem auris camelinae incisam deorsum pendere sivit.

مُزَنَّمٌ Aurem caesam habens *camelus* parte deorsum pendula; *it.* parvi cameli, taleve eorum genus. 25.

زُهَيْرٌ *Diminutiv. nom.* زَهْرٌ flos plantae; *it.* nom. propr. poetae.

زَالَ (pro زَوَلَ) *Fut. O.* Desiit, cessavit. 59.

زَادَ (pro زَيَدَ) *Fut. I.* Auctus fuit aliqua re; *it.* adjecit, addidit aliquid *rei*.

زِيَادَةٌ Augmentum, incrementum, praestantia. 61.

س

سَأَلَ Rogavit, petiit. V. Crebro petiit. 64.

سَبَبٌ *Pl.* أَسْبَابٌ Causa, occasio; *it.* tractus latusque *coeli aut terrae*. 54.

سَحَرَ IV. Multo mane, diluculo fuit, venit, ivit. X. id. 10.

سَحَرٌ Matutinum tempus, aurora. 10. Notat Zuzenius, nomina سَحَرٌ et سُحْرَةٌ, si de certo quodam matutino tem-

pore dicantur indeclinabilia esse; sed si indefinite de aliquo matutino veniunt, per Casus declinari.

سَحَلَ *Fut. A.* Confricuit, laevigavit, dolavit, detraxit superiores partes; *it.* simplici modo, citra plurium partium plexum, contorsit funem.

سَحِيلٌ Filum simplex, non ex pluribus tortum; *it.* negotium simplex, leve, nullis difficultatibus impeditum. 17.

سَرُعَ Celer, citus, properus fuit.

سَرِيعٌ Velox, celer, promtus. 39.

سَعَى *Fut. A.* Proposuit, intendit, studuit, operam dedit. 18.

سَفَعَ *Fut. A.* Leviter adussit *eum ignis, fervidus ventus;* nigrore affecit.

أَسْفَعُ, *Plur.* سُفْعٌ niger, ut أَسْوَدُ *Pl.* سُودٌ; *signific.* سُفْعٌ *et* nigredinem. 5.

سَفِهَ Insipiens, stolidus, demens fuit.

سَفَاهٌ Insipientia.

سِلَحٌ, سِلَاحٌ Arma; *pec.* gladius, arcus et fustis. 38.

سَلِمَ Integer a noxa, incolumis salvusque fuit. سَلَمَ *Fut. I.* Pacem fecit. IV. Se dedidit submisitque imperio; *it.* prodidit, deceptum tradidit spretumque reliquit, ope et auxilio destituit. 46.

سِلْمٌ Incolumitas, salus, pax. 20.

سُلَّمٌ Scala per quam ascenditur. 54.

سُلْمَى Nom. propr. viri.

سَمَاءٌ Coelum. 54.

سُوبَانٌ Nom. propr. clivi cujusdam. 9.

سَيِّدٌ Dominus, princeps. 17.

سَئِمَ Taedio et satietate rei affectus fuit. 47.

ش

شَأَمَ *Fut. A.* et شُؤْمٌ Sinister et infaustus aliis fuit.

شَائِمٌ Laevus, infaustus, malus. *Comparat. et Superl.* أَشْأَمُ. 32.

شَتَمَ Contumeliam dixit, contumeliâ affecit. 51.

شَتْمٌ Contumelia. 51.

شَتَّى *Singul. et Plur.* Distinctus, diversus. 25.

شَدَّ *Fut. O.* Cucurrit, incurrit *in proelio* impetum faciens in hostem. 37.

شَرِكَ Socius, consors fuit. III. Socius et consors fuit *alteri*, particeps ejusdem rei. 43.

شَكَهَ III. شَاكَهَ *Act.* مُشَاكَهَةٌ Similis, et propinquus, vicinus fuit. 8.

شَاكَ (pro شَوَكَ) Punxit, vulneravit spina.

شَاكِى *pro* شَايِكٌ Spinosus, *it.* indutus *armis pecul.* toti corpore, acutis praeditus armis. 38.

شَيْخٌ Senex. 63.

ص

صَبَحَ Matutinum alicui propinavit potum. IV. Mane fuit, mane mansit fecitve aliquid; *it.* factus fuit, evasit. 21.

صَحَّ Sanus, integer, vitii expers fuit.

صَحِيحٌ Sanus, integer, labis expers. صَحِيحَاتُ مَالٍ, integra opum, *Zuzenius exponit* صَحِيحَات إِبِلٍ camelas vitii expertes. 44.

صَدَرَ Rediit ab aquatione. IV. Reduxit ab aquatione. 41.

صَدْرٌ *Pl.* صُدُورٌ Pectus. 27.

صَدَقَ Verax, ingenuus, sincerus fuit.

صَدِيقٌ Amicus sincerus. 58.

صَمَتَ Siluit, conticuit. 61.

صَنَعَ Paravit, fecit, confecit, bene curavit et exercuit *equum suum.* III. Conciliare sibi studuit, gratiam paravit. 50.

صَابَ (pro صَوَبَ) Contigit, pertigit. IV. Contigit *scopum sagitta; it.* contigit, affecit, laesit *eum.* 49.

صُورَةٌ Forma, imago, species. 62.

ض

ضَرَسَ Dentibus prehendit. II. Momordit. 50.

ضَرِمَ Efferbuit calore *dies,* arsit ignis. 30.

ضَرِىَ *Fut. O.* Sanguine manavit vulnus.

ضَرِىَ *Fut. A.* Exercitus fuit, assuevit, invaluit. 30.

ضَغِنَ Male voluit, odit.

ضِغْنٌ Malevolentia, odium, *pec.* quod celatur. 46.

ط

طَرَفٌ *Pl.* أَطْرَافٌ Latus, ora, pars extrema. 56.

طَرَقَ *Fut. O.* Noctu venit. 45.

طَمْأَنَ Reclinavit, imposuit dorsum quiescendi ergo. IV. أَطْمَأَنَّ Quietus fuit, quievit.

مُطْمَئِنٌّ Quietus, locus quietus. 53.

طَلَاءٌ *Plur.* أَطْلَاءٌ Pullus dorcadis aut vaccae sylvestris. 3. Usurpatur et de nato hominis usque ad mensem et ultra. Cf. not. ad Vs. 3.

طَلَعَ Ascendit.

طَاعَ (pro طَوَعَ) *Fut. O. et A.* Obsequens fuit, morem gessit, paruit. IV. id. *ccap.* 56.

طَافَ (pro طَوَفَ) *Fut. O.* Gyravit, circumivit, obivit *circa rem*, *cc* حَوْلَ 16.

طَوَى Complicuit, in se convolvit rem.

طَوَى كَشْحَهُ Complicuit hypochondrium suum, i. e. celavit aliquid. 35.

ظ

ظَعَنَ Migravit, iter fecit.

ظَعِينَةٌ *Pl.* ظَعَائِنُ Pilentum camelinum, sive in eo sit, sive non sit mulier; *it.* et ipsa mulier, quae in ejusmodi pilento vehitur. 7.

ظُفْرٌ *Pl.* أَظْفَارٌ Unguis, ungula pecoris. 38.

ظَلَمَ *Fut. I.* Injustus fuit, injuria affecit. 39.

ظُلْمٌ Injuria. 39.

ظَمِىَ Sitivit.

ظَمْأٌ Sitis; *it.* quod intercedit inter duas aquationes. 40.

ظَهَرَ Apparuit, manifesta, conspicua fuit res. 15.

ع

عَبَسَ Austero vultu fuit.

عَبْسٌ Nom. propr. tribus cujusdam Arabum. 19.

عَجِبَ Miratus fuit. .IV. Admiratione affecit. 61.

عَجِلَ Festinavit, properavit. II. Deproperavit, cito confecit. 28.

عَتِيقٌ *Pl.* عِتَاقٌ Nobilis, egregius. 8.

عَدَّ Numeravit, computavit.

مَعَدٌّ *Diptot.* nom. propr. viri qui ابو العرب pater Arabum dicitur, filius عدنان Adnani. 22.

عَدَا (pro عَدَوَ) *Fut. O.* Praeteriit, transiit; *it.* transgressus fuit, iniquus, injustus in alium fuit.

عَدُوٌّ Hostis, inimicus. 36.

عَرَسَ *Fut. O.* Ligavit camelum decumbentem. II. Consederunt viatores circa extremum noctis, ut capta quiete aliqua prosequerentur iter.

مُعَرَّسٌ Locus quo noctu vergente ad diluculum quiescunt viatores; *it.* locus quo olla ponitur.

عَرَضَ *Fut. O.* et عَرِضَ *Fut. A.* Adversus occurrit; se obtulit, apparuit *illi res.*

عِرْضٌ Existimatio, honor. 51.

عَرَفَ *Fut. I.* Cognovit, agnovit.

مَعْرُوفٌ Notus; *it.* conveniens, aequum, fas; *it.* beneficium. 20. 51.

عِرَاقٌ Babylonia, Chaldaea. *Vid.* A. SCHULTENS Indic. geograph. ad *Vitam Saladini* a se edit. sub voc.

عَرَكَ Fricuit, perfricuit. عَرْكٌ perfrictio. 31.

عَشَرَ *Fut. O.* Decimavit. *Fut. I.* Fuit decimus, accessit decimus aliis novem.

عَشِيرَةٌ Caterva hominum, *pec.* familiarum et cognatorum, tribus, gens. 18.

عَشَا (*pro* عَشَوَ) *Fut. O.* Nyctalops, luscitiosus fuit.

أَعْشَى, *Foemin.* عَشْوَآءُ Luscitiosus, qui crepera luce, sive vesperi sive mane, non cernit; *pec.* camela, quae quod ante se cernere nequiens anteriore pede obvium quassat. 49.

عَصَمَ *Fut. I.* Servavit immunem, defendit. 45.

مِعْصَمٌ, *Pl.* مَعَاصِمُ Carpus, pericarpii locus, locus manus, ubi armillae ponuntur.

عَصَى *Fut. I.* Immorigerus fuit, restitit, repugnavit. 56.

عَصًا, *Pl.* عِصِيٌّ Baculus, scipio, fustis. 13.

عِطْرٌ Aroma, odoramentum. 19.

عَطَا (pro عَطَوَ) Manu accepit rem. IV. Largitus fuit, dedit donum. 64.

عَظُمَ Magna, magni momenti fuit vel evasit *res; it.* grave accidit *mihi.*

عَظِيمٌ Magnus, magni aestimatus. 22.

مُعْظَمٌ Casus magnus et gravis. 45.

عَفَا (pro عَفَوَ) Obliteravit. II. Recte concinnavit, emendavit rem corruptam. 23. IV. Liberum, immunem habuit ab aliqua re. 59.

عَقَّ *Fut. O.* Fidit; *it.* immorigerus fuit et repugnavit iis, quibus obedientiam deberet, ut parentibus et regi. Dixit Mohammedes: non ingredietur paradisum عَاقٌّ, i. e. qui patri suo immorigerus est.

عُقُوقٌ Inobedientia, defectio, rebellio. 21.

عَقَلَ Detinuit, constrinxit, *pec. camelum,* complicatis simul pede cubitoque; *it.* pecuniâ placavit ultores interempti, pecuniâ redemit fusum ejus sanguinem, *quia hoc ligatis in placandorum area camelis fieri solebat; alii inde, quod persoluto lytro sanguinis effusio cohibetur.* Solvit mulctam vel sanguinis pretium pro alterius delicto vel caede; *c c* عن *p.* 44.

عَلِمَ Scivit. عِلْمٌ Scientia.

عَلَا (pro عَلَوَ) *Fut. O.* Altus, sublimis excelsus fuit, ascendit. *Cum* ب *rei constructum obtinet significatum transitivum Conjug. III. et IV.,* evexit, imposuit. Ita Zuzenius ad Vs. 8.

عُلْيَاءُ Locus sublimis et eminentior; est feminin. Comparativi أَعْلَى. 7. *Pl.* عُلْيَا, *ut a* كُبْرَى *Feminino τοῦ* أَكْبَرُ *Pluralis est* كُبْرَيَاتٌ et كُبَرٌ. 22.

عَوَالِى *Plur. τοῦ* عَالِيَةٌ Res alta; *it.* pars hastae superior, quae subit ferramentum cuspidis. 56.

عَمَرَ Diu vixit, longaevus fuit. II. Diu superstitem servavit Deus. 49.

عَمْرٌ Aetas, vitae tempus. لَعَمْرِى Per vitam meam! *Jusjurandi formula.* 34.

عَمِىَ Caecus fuit. عَمِىٌّ Caecus. 48.

عَنْدَمٌ Sanguis draconis, *aut* bresillum; i. q. بَقَّمٌ lignum arboris magnae, foliis amygdalinis, cujus decocto tingitur color rubicundus, seu pseudopurpureus. 8. e var. lect.

عِهْنٌ, *Pl.* عُهُونٌ Lana tincta. 12.

عَادَ (pro عَوَدَ) Rediit, reversus fuit. 64.

عَادٌ Nom. propr. antiquae tribus Arabum, ad quam Hud missus fuit. 32.

عَاشَ (pro عَيَشَ) *Fut. I.* Vitam duxit, vitam toleravit. 47.

عَيِنَ Nigros amplosque habuit oculos.

عِينٌ Qui amplos oculos habent boves sylvestres, s. capreae, pro البَقَرُ العِينُ. 3.

غ

غَدٌ Postera, crastina dies. 48.

غَرَبَ *Fut. O.* Abfuit, distitit, longius recessit. VIII. Peregrinus fuit. 58.

غَرِمَ *Fut. A.* Obstrictus fuit debito, mulctae, poenaeve, *ut solvendo sanguinis pretio.*

غَرَامَةٌ Debitum quod necessario solvendum, mulcta. 24.

غَلَّ *Fut. O.* Immisit, indidit rem rei. IV. Proventum et legumina غَلَّةٌ dicta protulit et suppeditavit ager. 33. *Futur. apocop. secundum dialectum Hedschasicam;* cf. *Institutt. ad fundamm. Ling. Arab.* p. 91. §. CLXVIII.

غُلَامٌ, *Pl.* غِلْمَةٌ, غِلْمَانٌ Adolescens *a nativitate ad juventutem.* 32.

غَمْرٌ, *Pl.* غِمَارٌ Aquae copia, quanta rem quantam contegere possit, gurges, abyssus. 40.

غَنِمَ Pro praeda quid abstulit.

مَغْنَمٌ, *Pl.* مَغَانِمُ Praeda. 25.

غَنِيَ Utilitatem cepit; *it.* contentus fuit *aliquâ re*, et pro sufficiente sibi *eam* habuit, haud indigus *alterâ* carere eâ potuit, postposuit eam, c c ب r *et* عَنْ *alterius*. 52. *In Scholio ad eum Vs. lin.* 1. *pro* منه legendum عنه. X. id. q. I.

غُبَيْطُ بن مُرَّةٍ vid. not. ad Vs. 18.

ف

فَأَمَ *Fut. A.* Explevit. II. IV. Auxit, ampliavit.

مُفَأَّمٌ Ampla sella camelina. 15.

فَتَّ Fregit, comminuit.

فُتَاتٌ Frustulum, comminutae rei pars. 12.

فَتًى Juvenis vir. 62.

فَرَى Secuit, fidit. IV. Diffidit, dilaceravit. V. Fissus, diffissus fuit. 40.

فَزِعَ et فَزَعَ *Fut. A.* Terrorem concepit, metuit. IV. Timuit, metu affecit. 37.

فَضْلٌ Augmentum, excessus, lucrum; *it.* donum, opes. 52.

فَطَمَ *Fut. I.* Abduxit *a consuetudine*, *a matre*, ablactavit mater. IV. Ablactari idoneus fuit *pullus*. 32.

فَنِيَ *Fut. I.* Evanuit, periit. VI. Invicem se perdiderunt et deleverunt in bello. 19.

فَنًا i. q. عِنَبُ الثَّعْلَبِ uva vulpina, i. e. solanum hortense; *aliis* arbor rubras ferens baccas. 12.

فُؤَادٌ Cor, praecordia, animus. 64.

فَوْقَ Supra. مِنْ فَوْقَ Desuper.

ق

قَبَلَ Advenit.

قَبْلَ Ante. 48.

قَدَمَ Praecessit, progressus fuit. V. animo fortiori et audaciori progressus est, temere ad aliquid perpetrandum irruit. 35.

قَذَفَ Petiit lapidibus alter alterum.

مُقَذَّفٌ Multum carnosus *vir*, ceu corpori injectas appactasque habens carnes. 58.

قُرَيْشٌ Nom. propr. familiae Arabicae, scil. filii نضر بن كنانة Nadhri filii Cenanae, ex qua natus fuit Mohammedes; *ita*

dicti quod circa Meccam congregati degerent, a قَرَشَ collegit undique. 16.

قُرَى *Pl. nomin.* قَرْيَةٌ et قِرْيَةٌ, Urbs, pagus, villa. 33.

قَسَمَ *Fut. I.* Divisit in partes. IV. Juravit, 16. *Ita Graeci dicebant ὅρκια τέμνειν, cf. not. nostr. ad Genes. XV,* 10.

مُقْسَمٌ Jusjurandum. 26.

قَشْعَمٌ Annosus vultur. أُمّ قَشْعَمٍ Mater vulturis, i. e. infortunium, bellum. 37. *vid. ibi not.*

قَشِيبٌ Novus, recens factus. 15.

قَصَدَ *Fut. I.* Tetendit, intendit, proposuit sibi.

قَصِيدَةٌ Carmen, poëma, *et tale quidem, quod Versibus integris, iisque non paucioribus quam tribus, vel, ut alii, quam sedecim, constet.* Th. Chr. Tychsen in Commentat. *de poeseos Arabum origine et indole antiquissima*, in *Commentatt. Gottingenss. recentiorib.* T. III. Class. histor. philolog. p. 273. *nomen* قَصِيدَةٌ *istiusmodi carmini inde inditum censet, quod* studio et intentiore cura *esset elaboratum.* Cf. Ed. Pocockii Not. ad Carm. Tograi Vs. 1.

قَضَى *Fut. I.* Decrevit, praefinivit; *it.* exsequutus fuit, perfecit. قَضَا حَاجَتَهُ perfecit quod sibi factu opus esset. 36. II. Perfecit, absolvit. 41.

قَفِيزٌ Mensurae genus continens XII صاع, hoc vero est mensura aridorum IV modios continens, qualium unus $1\frac{1}{3}$ librae pondere aequat. 33.

قَلَمَ I. II. Resecuit ungues. 38.

قَنَانٌ Nom. propr. montis. 14.

قَالَ Dixit, opinatus est.

قَوْلٌ Dictum, opinio; *it.* calumnia. 20.

قَوْمٌ Populus, homines, viri eorumque coetus. 24.

قَيْنٌ, *Pl.* قُيُونٌ, *ut a* بَيْتٌ *fit Pl.* بُيُوتٌ. Quicunque quid concinnat formatque, *ut* faber ferrarius, sutor, *nomine actionis s. Infinitivo posito pro nomine agentis s. Participio, ut notat Zuzenius, quemadmodum in Versu hoc anonymi poetae ab eo allato:* Mihi cor

est vulneratum consuetudine ejus (amatae); vulnera amoris utinam quis artifex curaret!

قَيْنِيٌّ Artificiose concinnatum, fabrefactum. 15. *Sed Nahaso est Adjectivum gentile:* ad Kainitas pertinens.

ك

كَأَيِّنْ , كَيِّنْ , كَائِن , *quasi ex* كَ et أَيٍّ *cum Nunnatione* Quot! 61.

كَتَمَ *Fut. O.* I. VIII. Abdidit, celavit, clam habuit. 27.

كَثُرَ Multus fuit; IV. multum fecit, multum usurpavit. 64.

كَثِيرٌ Multus.

كَرُمَ *Fut. O.* Generositate indolis et nobilitate, aut honore, vel liberalitate et munificentia superavit alium. II. id. 58.

كَرِيمٌ , *Pl.* كِرَامٌ Nobilis, liberalis. 46.

كَشْحٌ , *Pl.* كُشُوحٌ Latus, hypochondrium; *it.* locus corporis inter hypochondrium et spurias costas. كَاشِحٌ Qui clandestinum odium in pectore fovet, seu dissimulatus hostis. *Alii, notante Zuzenio, ab* avertendi *notione, quam* كشح *obtinet,* adversarium كاشح *dictum putant quod ab amicitia et concordia alienus est. Dicitur* طوى كشحه على الامر i. e. occultavit negotium in pectore suo. 35.

كَشَفَ Admissarii initum foeta admisit camela, aut duobus consequentibus annis inita fuit.

كِشَافٌ Camela quae foeta initus, aut duobus consequentibus annis. 31. Secundum Zuzenium: ovis, quae bis annuo spatio concipit.

كِلَّةٌ *Pl.* كِلَلٌ Velamentum subtilius tentorii formâ consutum ad prohibendos culices, conopeum. 8.

كَلَأٌ Pabulum, *pec.* virens herba. 41.

كَلِفَ Cum studio et labore incubuit rei.

تَكْلِيفٌ , *Pl.* تَكَالِيفُ Vexatio, molestia. 47.

كَلَمَ Vulneravit. II. Loquutus *aut* affatus fuit. 1.

كَلْمٌ, *Pl.* كُلُومٌ Vulnus. 23.

كَنَّ Texit *rem*, servavit, condidit. X. Tectus reconditusque fuit, abdidit se. 35.

كَنْزٌ, كِنْزٌ Thesaurus. 22.

كَنَى Appellavit sive signavit nomine per se significante rem aliam, *c c a p et* ب *r.* II. id.

مُكَنًّى *Particip. pass.* II. Cognominatus.

ل

لَبَدٌ *Pl.* لِبْدَةٌ Juba leonis, pili in ejus cervice congesti. 58.

لَدَى Ad, apud, penes.

لَجَمَ Consuit. IV. Frenavit equum.

مُلْجَمٌ Frenatus *equus.* 36.

لَحْمٌ Caro. 62.

لِسَانٌ Lingua. 62.

لَطَفَ *Fut. O.* Exilis, parva et subtilis fuit res, *et* fere cum elegantia quadam.

لَطِيفٌ Exilis, subtilis cum elegantia, placens, animum oblectans. 11.

لَقِحَ Concepit, foeta fuit camela. 31.

لَقِيَ Pertigit, obvium habuit. IV. Projecit, dejecit. 37.

لَكِنْ, لَكِنَّ Sed, attamen, veruntamen.

لَهْذَمٌ Acuta et penetrans cuspis, hasta. 56.

لَهَا (pro لَهَوَ) *Fut. O.* Lusit *aliqua re* et tempus fefellit, oblectavit et demulsit animum suum.

مَلْهًى Lusus, jocus, quod animum divertit a re alia, *inprimis* seria, *et* locus oblectans. 11.

لَوْنٌ Color. 8. (ex var. lect.)

لَأْيٌ Studium, labor, molestia. 4.

لَيْلٌ, *Pl.* لَيَالِى Nox.

م

مَاءٌ *pro* مَوَهٌ *et* مَاءَةٌ Aqua.

مَتْنٌ Latus unum dorsi; pars terrae dura et elata. 9.

مَتَى Quando.

مَجْدٌ Gloria, honor. 22.

مَرُو *Fut. O.* Virilis, masculus fuit.

اِمْرُءٌ Vir. 60.

مُزَيْنٌ Nomen proprium tribus cujusdam Arabicae. مُزَنِيٌّ *Inscript.*

مَشَى *Fut. I.* Incessit, ambulavit. 3.

مَلَأَ Implevit, replevit.

مِلْءٌ, *Pl.* أَمْلَاءٌ Res quae quid implet; *it.* quantum implet vas aliamque rem. 24.

مَنَا Certa quantitate certoque numero quid definivit.

مَنِيَّةٌ, *Pl.* مَنَايَا Mors, *et in genere* res definita suo tempore et modo, fatum. 41. 54.

مَهْمَا Quodcunque, *pro* ما ما, *Eliph prioris* ما *in* ه *mutato.* 27. 60.

مَاتَ (*pro* مَوَتَ) Mortuus fuit. II. Neci dedit. 49.

مَوْتٌ Mors; *it.* pugna. 43.

مَالٌ *Pl.* أَمْوَالٌ Quod quis possidet, opes, *pec.* pecora. 20.

مِئَةٌ et مِائَةٌ *pro* مِئَى. *Dual.* مِئَتَانِ Ducenti, *scil.* cameli. 23.

ن

نَأَى *Fut. A.* Fodit fossulam circum tentorium ad avertendum aquae fluxum.

نُؤْىٌ, *Pl.* أَنْآءٌ *et* نُؤِيٌّ Fovea circa tentorium facta ad prohibendum aquae pluvialis aliusque fluxum. 5.

نَتَجَ Parientem juvit *camelam, vaccam ovem; it.* foetas habuit camelas; *formâ passivâ* foetum enixa camela. 31.

نَجَمَ *Fut. O.* Apparuit, conspicua fuit *res; it.* per partis suas certoque et constituto tempore dedit aut praestitit aliquid. II. id. 23.

نَدِمَ *Fut. A.* Poenitentia facti ductus fuit, rem factam doluit. 55.

نَزَلَ *Fut. I.* Descendit; *it.* diversatus fuit.

مَنْزِلٌ Hospitium, locus ubi quis divertit aut subsistit, mansio, domus. 12.

نَسَمَ Percussit pede suo seu plantâ camelus.

مَنْسَمٌ et مِنْسَمٌ Pes seu plantae cameli. 50.

نَشَرَ *Fut. O.* Explicuit, late diffudit.

نَاشِرٌ, نَاشِرَةٌ, *Pl.* نَوَاشِرُ Vena seu nervus et tendo brachii, *pec.* internus. 2.

نَشِمَ Maculis punctisve nigris et albis conspersus fuit.

مَنْشَمٌ Nom. propr. viri aut feminae, vid. not. ad Vs. 19.

نَصْفٌ, نِصْفٌ Dimidium rei. 62.

نَظَرَ Vidit, adspexit, conspicatus fuit.

مَنْظَرٌ Adspectus, facies, quod adspicitur. 11.

نَعَمَ et نَعِمَ *Fut. O. I. A.* Commodum *illi* fuit *diversorium;* mollis lenisque fuit; egregius, laetus, jucundus fuit. II. IV. Benefecit, bonis et beneficiis donavit Deus. „Solebant," notat Zuzenius ad Vs. 6., „Arabes hâc salutandi formulâ uti: نَعِمْتَ صَبَاحًا, i. q. إِنْعِمْ صَبَاحًا, i. e. *bonus sit status tuus in tempore tuo matutino,* a نِعْمَةٌ نَعْمَةٌ, commoditas vitae. Peculiariter vero in hac salutandi formula memorant tempus matutinum, quia eo incursus hostiles et casus adversi accidere solent. Modo quadruplici efferunt hanc salutandi formulam: 1) أَنْعَمْ mediâ radicali Phathatâ, a نَعِمَ *Fut.* يَنْعَمُ, ut عَلِمَ. يَعْلَمُ, 2) أَنْعِمْ, a نَعِمَ *Fut.* يَنْعِمُ, ut حَسِبَ *Fut.* يَحْسِبُ; eae formae Imperativi sunt secundum فَعِلَ, يَفْعِلُ, ex alio Verbo irregulari perfecto (i. e. cui radicalis nulla est ا و ى). Sibujah refert, Arabum quendam recitasse hunc Amralkeisi Versum: *Heus! salvete, detrita rudera! num bene se habent qui erant* ibi *in tempore praeterito?* cum Kesre sub Ain a يَنْعِمُ. 3) عِمْ صَبَاحًا a وَعَمَ *Fut.* يَعِمُ, ut وَضَعَ

Fut. يَضَعُ. 4) وَعَمَ a عِمْ صَبَاحًا, *Fut.* يَعِمُ, ut وَعَدَ *Fut.* يَعِدُ." V. Deliciatus fuit. 9.

نُعْمٌ Fortuna secunda, prosperitas, commoditas. 17.

نَقَصَ Imminutus fuit, decrementum, detrimentum cepit.

نَقْصٌ Imminutio, detrimentum. 61.

نَقَمَ *Fut. I. et O.* Iratus fuit; objurgavit, reprehendit; *it.* punivit; poenam cepit. 28.

نَمَطٌ *Pl.* أَنْمَاطٌ Stragulum, lodix, operimentum laneum, quod superinjicitur pilento camelino. 8.

نَهَضَ *Fut. A.* Extulit se, surrexit. 3.

نَابٌ Dens acutus s. caninus, qui incisoribus a latere proximus, et in brutis quibusdam exertus prostat. 50.

نَالَ (pro نَيِلَ) *Fut. A.* Consequutus, assequutus fuit. 54.

ه

هَدَمَ *Fut. I.* Diruit, evertit, destruxit. II. id. 57.

هَدَى *Fut. I.* Rectâ duxit, bene direxit. *Bene*, feliciter *dirigamini!* Votum. 22.53.

هَرَقَ pro أَرَاقَ, *et hoc pro* أَرْيَقَ *Fut.* يُهَرِيقُ *pro* يُورِقُ *pro* يُرِيقُ. Effudit, profudit *aquam.* 24.

أَهْرَاقَ *pro* أَرَاقَ *Fut.* يُهَرِيقُ *et* يُهْرِقُ, *ut* أَسْطَاعَ *Fut.* يُسْطِيعُ *pro* أَطَاعَ.

هَرِمَ *Fut. A.* Senio defecit atque confectus fuit homo. 49.

هَلْ Num?

هَابَ (pro هَيَبَ) Veritus fuit, formidavit. 54.

و

وَبُلَ Gravis et insalubris, minime conveniens fuit *aër*, *cibus.* X. id. *et transitive* insalubrem aut aëre gravem reperit *vel* judicavit esse *regionem*, *cibum.* 41.

وَجَدَ *Fut.* يَجِدُ Invenit, reperit. 17.

2) Pro اول Ms. habet اقلّ *minimus* tractuum Syriae. Quod veritati adversatur. ABULFEDA *Tab. Syr.* p. 7. Palaestinam vocat كورة كبيرة *regionem magnam*, اول tuetur et IBN-OL-VARDI p. 177. ed. Koehler. et p. 86. ed. Hylander. *Primus* Syriae tractus vero est Palaestina ab austro. Quo jure Ibn-al-Vardi Palaestinam primam Syriae praefecturarum من الغرب *ab occidente* (quomodo in utraque edit. legitur) dicat, me non assequi fateor.

3) Loco احواز apud Ibn-ol-Vardi p. 177. ed. Koehl. est احرام, pro quo Reiskius in not. اجزام, sive, ut est in Addendis et Corrigendis, اجزاء

fach[4]) usque ad al-Ladschun[5]). Latitudo vero a Jafa[6]) ad

---

partium, legendum conjecit. „Sed nescio," inquit Koehlerus loco posteriore, „sitne lectio nostra, quam utrique codices probant, sana. احرام Golio sunt *loca sacra*, et *quae quis protegit.* Forsan احرام significatione paullo latiore responderit τῷ اجناد, quae proprie sunt *urbes praesidio tectae*, post in universum *provinciae* ac *regiones*." Sane apud Abulfedam (p. 8.) legitur ex Ibn Chaukal: فلسطين اول اجناد الشام. In Ibn-el-Vardi ex edit. Hylandri legitur: فاما فلسطين فهى فى اول احراز الشام, quae Vir Doctissimus sic vertit: *Ad Felestin quod attinet est prima ex oris Syriae munitis.* Sensu parum apto. In codice quodam Arabico bibliothecae Illustr. Senatus Lips., qui inter plura miscella et Descriptionem Syriae ex Ibn-el-Vardii Opere excerptam continet, legitur اجواز, mendo manifesto pro احواز quod omnino retinendum. Est Pluralis nominis حوز, quod significatu convenire cum حَوْزَة *tractus latus* haud dubito. In *Abi Abdollae Ben Alkhatib* Annalibus regum Hispaniae et Africae, ex quibus excerpta dedit Casiri in *Biblioth. Arab. Hisp.* T. II. p. 177 seqq. legitur p. 183. (a), كانت به الوقيعة على نهر لد من احواز شريش *commissum est cum eo proelium ad amnem Lede, e tractibus*, i. e. in regione urbis *Xerez*. Prorsus inepte Gabriel Sionita Edrisii verba reddidit: *At fines Palaestinae sunt principium territorii Damasceni.* Nomen شام haud raro de Damasco, Syriae metropoli, usurpari constat, sed h. l. esse nomen regionis res ipsa ostendit.

4) Est Strabonis (L. XVI. Cap. 2. §. 31.) Ῥαφία, in tractu maritimo, Gazam inter et Rhinocoluram, quem locum plures veterum australem Syriae terminum fecerunt; vid. Cellarii *Notit. Orb. antiq.* Vol. II. Cap. 13. §. 230. et Relandi *Palaest.* p. 46. 967.

5) Veterum *Legio*, sita XV. milliaribus Romanis a Nazareth versus occidentem; vid. Relandum p. 873. Vix dubium, esse pagum quem Maundrell (vid. Paulus *Samml. von Reisen* P. I. p. 75.) *Legune* vocat, in planitie situm, quae veteribus *campus Legionis* dicta; vid. Relandum, p. 359. 366. Eosdem longitudinis Palaestinae terminos ponunt Abulfeda p. 8. et Ibn-el-Vardi p. 177. ed. Koehler.

6) Hebraeis יָפוֹ Jos. XIX, 46. Jon. I, 3. 2 Chron. II, 16. Graecis Ἰοππη et Ἰοπη (vid. Reland. p. 864.), hodie *Jaffa*, portus celebris. Cf.

Richa [7]) est bidui [*]). Sedes Lotitharum una cum mari foetido [i. e. mortuo] usque ad Baisan [8]) et Tiberiadem vocantur el-Ghaur, quia planities est inter duos montes [9]). Omnes autem aquae e Damascena Syria delabentes et in unum confluentes efficiunt fluvium Zakhar [i. e. Jordanem] [10]). Ejus initium est a lacu Tiberiadis, prope ipsam Tiberiadem, omnesque fluvii in eum influunt, veluti fluvius Jarmuc [11]), et Chadd, et flumina Baisan, tum quicquid effluit e tractibus Mat [12]) et montibus Hierosolymae, monteque

---

Abulfeda p. 80. Multa de hac urbe habet Pococke *Descript. Orient.* P. II. p. 4. seqq. vers. teuton.

7) Hebraeis יְרֵחוֹ Num. XXII, 1. et יְרִיחוֹ Jos. II, 1. 2. 3., atque יְרִיחֹה 1 Reg. XVI, 34. Straboni L. XVI, Cap. 2. §. 41. Ἱεριχοῦς.

*) Post يومين in Ms. sequuntur haec: وزعرا وديار قوم لوط والبحيرة المنتنة وجبال الشراة مضمومة اليها وهي منها في العمل الى حد ايلة.

8) Est veterum Hebraeorum בֵּית־שְׁאָן s. בֵּית־שָׁן. Vid. Relandi *Palaest.* p. 992. A. Schultensii *Indic. Geograph. ad Vitam Saladini* s. v. *Baisana*, Abilfedae *Tab. Syr.* p. 84., et librum nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. II. p.

9) Plura de hac planitie diximus in libro *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 145. seqq.

10) Vid. de hoc Jordanis nomine Relandi *Palaest.* p. 272.

11) Graecis Ἱεράμαξ dicitur, in mollius flexa nominis forma; vid. Reland. p. 283. Hodie *Scheriat el-Mandhur*, شريعة المنظور, vid. Burckhardt's *Travels in Syria* p. 270. s. vers. teuton. p. 426. Fluvius Chadd, quem Edrisi statim commemorat, non est aliunde notus.

12) كورمات Sionita reddidit *Kouar-mat.* Sed كُوَر vix dubium esse Pluralem fractum nominis كُورَة *regio*, *tractus;* مات vero videtur

sepulchri Abrahami[13]), et quicquid etiam defluit a Neapoli. Haec omnia enim simul concurrunt et labuntur in mare Zoghar, quod et mare Sadum et Ghamur appellatur, duarum urbium gentis Lot, quas Deus submersit, earumque locum occupat mare foetidum, quod et mortuum appellatur, quoniam nihil animatum in eo reperitur, neque pisces, neque reptilia, neque aliud quicquam ex iis quae generari solent in ceteris aquis vel stagnantibus vel manantibus. Aqua ejus est calida et male olens[14]). Sunt autem in hoc lacu parvae naves, quibus iter fit per eas partes, et commeatus variique generis fructus e Zoghara ad Jerichuntem et reliqua el-Ghauri loca*) devehuntur. Longitudo hujus lacus LX. Millia Passuum, latitudo XII. M. P. A Jerichunte ad Zogharam est bidui iter. A Zoghara ad montes Scharat[15]), et ab his ad extremitatem Scharat bidui quoque iter. A Jerichunte ad Hierosolymam statio. Ab Hierosolyma ad Amman**) et el-Belka bidui iter. A Ramla ad Caesaream statio magna. Jericho[16]) vero, cujus mentionem fecimus,

---

nomen proprium esse, sed vitiose scriptum; forsan pro حمات *thermae*, Ἀμαθὰ, vicus Gadarae vicinus, ubi aquae calidae. Vid. Reland. p. 559.

13) I. e. Hhebrone, vid. Abulfedae *Syr.* p. 87. et Reland. p. 709.

14) Cf. quae de hoc lacu collegimus in *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 180. seqq.

*) Verba الغور — وتنون p. 2. lin. 12. e Ms. recepi.

15) Hebraeis montana Seir, שֵׂעִיר, vid. Burckhardt's *Travels* p. 410. s. p. 688. seqq. vers. teut.

**) Pro غسان, quod est in edito, recepi عمان e Ms.

16) Quae jam sequuntur in textu Arabico inde a verbis واريحا المذكورة Pag. 2. lin. 16. *Jericho vero* cet. usque ad verba ويصعد سنة

est maxima el - Ghauri urbium, tum Amatha et Baisan. Frequentissima el - Ghauri plantarum est myrobalanus[17]); incolae eum balsamum[18]) vocant; accedit ad nigredinem[19]). Ex oppidis Palaestinae est el - Dschi*), parvum oppidum; ejus aqua est calida, ingrata et insalubris. Baisan est urbs Pag. 3 admodum parva in qua multae palmae. Ibidem crescit Sesamum[20]), e quo flava tinctura[21]) Sesamina conficitur. Nullo

---

اميال Pag. 4. lin. 6. *totidemque ascendit*, non exstant in libro edito, suntque e Cod. Ms. inserta.

17) Pro العيلج non dubito legendum esse اهليلج sive هَليلَج e Persico هليله *myrobalanus*, de qua planta disputavit GARCIN in Notis ad librum *Les Oiseaux et les fleurs* p. 193. seqq. Cf. HASSELQUISTI *Itinerum suor. in Palaestinam Commentarios*, p. 573., et AVICENNAE *Can. Medic.* p. 162. text. Arab. ed. Rom. 1593. fol. Nonnulla myrobalani arbusta prope Jerichuntem vidit MARITI *Itinerar.* p. 405. vers. teuton.

18) Alias باسان scribitur, vid. AVICENNAE l. I. p. 140. ubi inter alia haec leguntur: قال ديسقوريدس لا تكون هذه الشجرة الا فى بلاد اليهود وهو فلسطين فقط فى غورها. Transsumta haec sunt ex hisce DIOSCORIDIS L. I. Cap. 18.: *Βάλσαμον — — γεννώμενον ἐν μόνῃ Ἰουδαίᾳ, κατά τινα αὐλῶνα.* Attamen البلسم scribitur et a Makrizio in Descriptione Aegypti, referente DE SACYO in Notis ad *Abdollatifi Memorabilia Aegypti*, Gallice ab ipso conversa, p. 89.

19) Inter quatuor myrobalani genera, quae enumerat *Zeinattar* Persa (apud GOLIUM *Lexic. Arab.* p. 180.) est etiam اسود *nigra*, parva, exossis, quae nobis Indica.

*) De hoc loco, haud procul a Wady-Musa, i. e. סֶלַע *Sela* Hebraeorum, *Petra* Graecorum et Romanorum, sito, et regione adjacente, plura refert BURCKHARDT l. l. p. 420. 433., s. p. 702. 719. vers. teuton.

20) Pro السامان et mox السامانية legendum السمسم et السمسمية.

21) حُصّ i. q. وَرْس *curcuma*, aliis *crocus*, dicit GOLIUS l. l. p. 617.

Et p. 2653. haec habet: وَرْس *planta sesamo* similis, flavescens, ex qua

alio Syriae loco nisi hoc reperitur haec planta. Palaestina aquam suam e pluviis et torrentibus habet. Rarae sunt arbores, campis tamen est amoena, estque provinciarum Syriae bonorum abundantissima [22]). Duae Syriae urbes sunt Ramla et Hierosolyma. Ramla est urbs pulchra, populosa et foris instructa. Frequens ibi mercatura mercium tam quae advehuntur, quam quae exportantur [23]). Ab ea ad Jafa, ad maris litus, est dimidiae diei iter. A Ramla ad Nablus (Neapolin) diei iter. A Ramla ad Caesaream est statio magna. Neapolis est urbs Samaritanorum. In ea est puteus, quem effodit Jacobus, cui sit pax! Illi assedit Dominus Messias, cum a muliere Samaritana aquam bibendam petiit. In eo loco est jam pulchrum Christianorum templum. Hierosolymitani dicunt, existere nusquam alias, nisi in hac urbe, Samaritanos [24]). Inter extrema Palaestinae urbes prope viam, quae Aegyptum ducit, est Ghaza urbs [25]). A Palaestina [26]) ad urbem Askalon est statio magna.

---

paratur غمرة *Gomraton*, i. e. lenimenti genus ex وَرْس confectum, quo faciem mulieres tingunt conciliandi nitoris ergo (p. 1732.).

22) Eadem fere leguntur apud Ibn-el-Wardi p. 177. ad calcem *Abulfedae Tab. Syr.* p. 177. edit. Koehl., et p. 86. ed. Hylandr.

23) De Ramla urbe cf. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 79. ed. Koehl. et A. Schultensii *Indic. Geograph. ad Vit. Saladini* s. v. *Ramlah.*

24) De Neapoli, Hebraeorum *Sichem*, cf. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 85. ed. Koehl., Ibn-el-Wardi p. 178. ed. Koehl., p. 86. ed. Hyl., et Schultensii Indic. s. v. *Neapolis.*

25) Cf. Abulfed. p. 77. et Schultensii *Indic.* s. v. Gaza.

26) De *Palaestina* urbe, cujus veterum nullus mentionem fecit, vid. Koehleri not. ad Ibn-el-Vard. p. 176. not. 38. Locus ex Abulfedae *An-*

Ab Askalone et Ghaza prope viginti M. P. Ghaza urbs populo frequens nunc est in Graecorum potestate. Portum habet navium stationem. A Theman ad Askalonem sunt viginti milliaria. El-Arisch urbs habuit duo templa majora [27]). Terram ejus arena obruit. Sunt in ea ruinae et fructus praestantes; estque mari propinqua. Via a Ramla ad Mardud per terram una est statio. A Merdud ad Ghazam, cujus supra mentionem fecimus, una est statio. A Ghaza ad Rafach, quae est urbs in statu integro servata, est una statio. Inde ad el-Arisch, et hinc ad el-Varadet, quod est hospitium prope mare, est una statio. Askalon [28]) est urbs pulchra, duplici cincta muro, habetque fora. Extra eam nulli sunt horti nec intra arbores [29]). Eam anno DXLVIII. expugnavit princeps Hierosolymae cum copiis

---

nall., quem Koehlerus tantummodo e Reiskii versione laudare potuit, in textu Arabico ab Adlero edito T. I. p. 468. lin. ult. legitur: فسار اليه اهل فلسطين) *obviamque iis* (وهزمه على طبرية ثم اقتتلوا على فلسطين فانهزم *Palaestinitis rebellibus) ivit, fuditque eos apud Tiberiadem, tum pugnarunt ad Palaestinam, et dissipati sunt.*

27) De *El-Arisch*, Rhinocorura veterum, vid. J. D. Michaelis *Nott. ad Abulfedae Aegypt.* p. 168. not. 148., et librum nostr. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 86. seqq.

28) De *Ascalone* cf. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 78., Ibn-el-Vardi p. 179. ed. Koehler. et p. 86. ed. Hyland., et Schultensii *Indic. Geogr. ad vit. Salad.* s. v. Cf. *Extraits du livre Enisol Djelil fit-tarikhi Kouds vel-Khalil par Mr.* de Hammer in Opere: *Fundgurben des Orients* T. II. p. 138.

29) Contrarium affirmat Ibn-al-Vardi l. l., dicens abundare Askalonem hortis et frugibus.

Graecorum e Francis et aliis[30]), in quorum potestate etiamnum est. Est vero Askalon eximia Palaestinae urbs. Ei oppositi sunt ad austrum duo illustres tractus, Dschebal et Scharat[31]). Atque priorem illum quod attinet, urbis ejus appellatur Dareb. Scharatae urbs vocatur Daradscha. Pag. 4 Uterque tractus abundat annonae proventu, oleis, amygdalis, ficubus, vineis, malisque granatis. Habent haec loca hoc commune, quod eorum solum e pice constat, quod ipsum valet de montium intervallis, quae inde progrediuntur. Vertex montis orientalis habet auri argentique mineras. Inde ad Amman iter est per vallis angustiam inter duos montis ramos, cui el-Mudscheb[32]) est nomen. Est magnus fluvius e fonte profundo oriens, permeatque val-

---

30) Loquitur Noster de expugnatione Askalonis per Balduinum III., regem Hierosolymae, facta, anno 1153. aerae Christianae. Per errorem autem *copiarum Graecarum* mentionem facit, quarum illa in expugnatione nullae partes erant. Vid. WILKEN's *Geschichte der Kreuzzüge* Vol. III. P. II. p. 21. seqq.

31) De *Scharat* vid. supra Not. 15. *Dschebal* vero est veterum *Gebalene* de qua docte disseruit RELANDUS *Palaest.* p. 82. seqq. De utraque regione vid. locum *Jakuti*, quem attulit Koehlerus in *Addendis et Corrigendis in Notis* ad Tabul. Syr. ad p. 7. not. 31. In Geographia Orientali quam OUSELEY sub *Ebn-Haukali* nomine e Persico Anglice vertit p. 40. haec leguntur: جبال *Jebal* and شراه *Sherah* are two well habited and pleasant districts. The chief town of Jebal is called ادره *Aderah*; of Scherah *Rouad*.“ Alia earum urbium nomina statim Noster exhibet. Cf. BURCKHARDTI *Travels in Syria* p. 401. et p. 674. vers. teuton.

32) Hebraeorum *Arnon* fluvius; vid. BURCKHARDT l. l. p. 371. s. p. 633. vers. teuton. Cf. *Handbuch der biblischen Alterthumskunde* Vol. II. P. I. pag. 208.

lem[33]) inter duos illos montium ramos, qui ita sibi propinqui sunt, ut si duo homines in utraque fluminis ripa sese alloquuntur, alter alterius sermonem percipere possit. In eo monte viator sex milliaria descendit totidemque ascendit. Ab Ascalone ad maris litus sita ad arcem el-Machur primam mari adjacentem sunt millia viginti quinque. Ex ejus regione in mediterraneo sunt vineae, palmeta, et Bait-Dschabril[34]) (Domus Gabrielis), in quo duo sunt hospitia, ad quae iter facientes diverti solent. Tum ad el-Machur secundam milliaria viginti quinque. Inde ad Jafam, quae est portus Hierosolymae, distantque ab invicem duas stationes haud magnas.

Hierosolyma vero urbs est illustris atque antiquissimis temporibus condita, quae Aelia olim dicebatur. Sita est super montem, ascenditurque ad eam ex omni parte. Est in se ipsa longa, protenditurque in longum ab Occidente in Orientem. In extremitate ejus occidentali est Porta el-Mihhrab (Sacrarii s. Templi). Super hanc portam est turris Davidis, cui pax! In extremitate autem orientali est alia porta, quae Bab-el-Rachmat (clementiae) vocatur; atque

---

33) فيا significatu haud diversum videtur a فَأْوٌ (a فَأَا ult. و vel ى *fidit)*, *interstitium inter duos montes*, Golii *Lex.* p. 1751.

34) كورة بيت جبريل *regionem Bait Dschabril* commemorat Ibn el-Wardi (p. 170. ed. Koehl., p. 80. edit. Hyland.) inter provincias, in quas tunc Syria divisa erat. Ad austrum illius فحص التيه *desertum et-Tih*, i. e. montis Sinai esse ait. Cf. Schultensii *Ind. geograph.* s. v. *Beit-Sjibrinum*, بيت جبرين, ita enim scribitur in Lexici geographici loco ab ipso allato, ubi dicitur, esse parvum oppidum inter Hierosolymam et Gazam.

haec est clausa, nec aperitur nisi inde a festo Palmarum [35]). Habet etiam a latere portam, quae porta Sihun dicitur; et a latere septentrionali est porta columnae corvi. Cum quis ingreditur per portam el-Mihhrab, quam ex parte occidentali esse diximus, et pergit orientem versus per plateam angustiorem, recta venit ad magnum Christianorum templum, quod templum resurrectionis, a Muslimis vero el-Komamat [36]) appellatur. Ad illud templum invisendum concurrunt Graeci ex omnibus suis regionibus tam orientalibus quam occidentalibus. Cum ingreditur quis per templi portam occidentalem, animadvertit se esse intra testudinem [37]), quae totum templum obtegit, estque unum ex admirandis mundi. Est vero templum infra illam portam, nec potest quisquam descendere ad illud ex hac parte; sed ex porta, quam habet ad septemtrionem, patet descensus ad inferiorem templi

35) Verba الا من عيد الزيتون لمثله Gabriel Sionita vertit: *nisi singulis diebus festi Palmarum.* Vix dubium intelligi *dominicam Palmarum;* quae Arabice *festum olivarum* vocatur, quod eâ Hierosolymae a sacerdotibus Romanae ecclesiae palmarum et olearum rami consecrantur. Vid. Mariti *Itiner. Commentar.* p. 379. vers. teuton. Pro لمثله in Ms. est الى مثله quod quid sibi hic velit non assequor. In textu a Koehlero e codice Dresdano exhibito legitur tantummodo: الا من عيد الزيتون. In cod. Lugdun. et Upsal. (ed. Hyland. p. 80.: الا من عيد الزيتون الى عيد الزيتون, quod Koehler vere inepte esse ait, „tum enim semper clausa [aperta] esset.“ Hylander vertit: *nisi ab initio festi olivarum ad finem ipsius*, quod verba Arabica non admittunt.

36) قمامة, a قَمَّ *everrit* domum, *sordes versae*, sterquilinium, „vel probrose ita mutantes nomen القيامة, vel quod olim urbis sordes eo comportari solerent.“ Golius *ad Alfragun.* p. 138.

37) Pro داخل, quod est in edit., recepimus وسط.

partem per triginta gradus; et haec porta vocatur porta Sanctae Mariae. Descendenti vero in templum occurrit statim Sepulchrum sanctum, praecelsum, duo habens ostia, et super illud est testudo fornicata, firmissimi aedificii, soli- Pag. 5 dissimae fortitudinis, artificiosissime elaborata. Ostiorum illorum duorum unum respicit aquilonarem partem, ad quam est porta Sanctae Mariae; alterum opponitur huic a meridie, et vocatur ostium crucifixionis, eique imminet frons templi [38]). E regione templi hujus, ab oriente, exstat templum valde magnum, in quo Franci celebrant sacra et sacrificia faciunt. In orientali hujus templi parte leviuscule [39]) declinando ad meridiem est carcer, in quo detentus fuit Dominus Messias, et locus, ubi cruci affixus est. Testudo vero maxima est perforata et coelo patens, et circa illam depicti sunt prophetae, Dominus Messias, Domina Maria, ejus mater, et Joannes Baptista. Inter lampades, quae supra sacrum sepulchrum sunt suspensae, tres aureae proprio sepulchri loco imminent. E templo hoc majori si egrederis, pergisque ad orientem, occurrit tibi aedes sancta exstructa a Salomone, filio Davidis, nempe templum illud, ad quod invisendum confluebant Judaei, dum res eorum adhuc florerent; postea vero ex eorum manibus ablatum est, suntque venientibus Muslimis ex illo expulsi. Sub regno Muslimorum vero factum est magnificentissimum.

---

38) Pro قبقنار quod est in edit., voce nihili, scripsimus ex conjectura مقدمة.

39) Pro لطيف, quod est in edit., Ms. habet يسير.

estque Oratorium illud, quod apud eos el - Aksa [40]), i. e. remotius, vocatur. Nullum autem est in toto terrarum orbe templum quod illud aequet magnitudine, praeter templum maximum, quod est Cordubae, in regionibus Andalusiae. Imo, uti fertur, tectum templi Cordubae, majus est tecto templi el - Aksa. At vero area templi Al - aksa est major area templi Cordubani, porrigiturque in longitudinem ducentis ulnis, centum octoginta in latitudinem [41]). Ea dimidia ejus pars, quae Sacrario est propinqua, lapideis est concamerata fornicibus, quos multi columnarum ordines sustentant, altera dimidia areae pars est sine tecto. In medio templo exstat testudo ingens, quae appellatur testudo petrae, uti vocant, cadentis; quoniam sub media testudine conspicitur petra instar clypei [42]) cubica, cujus extremitatum una elevatur a terra dimidiatâ staturâ, vel paulo minus,

---

40) المسجد الاقصد „*Templum extremum* Arabes dixerunt, vel quod a suo, nempe Meccano, longius abesset; vel quod altissimo emineret situ, quem et ipsi tribuebant urbi.“ Golius l. l. p. 136. Cf. Paul Lemming *Specimen libri* اتحاف الاخصا بفضايل المسجد الاقصى *auctore Kemaloddino* cet. Havn. 1817. p. V., et descriptionem illius Templi quam Gallice redditam e libro *Enis - ol - dschelil fit - tarikh el - Kuds* Ill. de Hammer inseruit operi: *Fundgruben des Orients* P. II. p. 87. et 93.

41) Quae in textu nostro Arabico Pag. 5. lin. 12. inde a verbis وليس فى الارض usque ad ماية وثمانين Pag. ead. lin. 16. leguntur consentiunt, paucis varietatibus, cum Ibn - el - Vardi p. 180. ed. Koehler, p. 88. ed. Hyland. Verba هو اكبر من صحن جامع قرطبة والمسجد الاقصى, quae in edit. desunt, recepimus e Ms.

42) Pro كالدرقة apud Abulfedam p. 9., qui eadem fere quae Noster de lapide illo refert, legitur مثل الدكة *instar scamni sedilis*, ut Koehlerus vertit, quod ei quod Edrisius habet, praeferendum videtur.

altera est humi defixa. Hujus petrae longitudo respondet fere latitudini, habet enim plus decem cubitis in latitudine, totidemque longitudine. Sub testudinis convexo descenditur in cavitatem quandam subterraneam, tenebrosae domus instar, longitudinis decem cubitorum, quinque latitudinis, altior staturâ, in quam descendit nemo nisi face lumen sibi paret. Habet haec testudo quatuor januas, et januam ejus occidentalem respicit altare, super quo filii Israelis sacrificia offerebant. Prope januam ejusdem orientalem exstat te- Pag. 6 studo, quae Sacrosanctum vocatur, elegantis venustaeque molis. Januam ejus meridionale respicit conclave, quod Turcis fuerat oratorium: at postquam Graeci illud ceperunt, mansitque in eorum manibus usque ad tempus, quo hunc librum scribimus, verterunt illud conclave in habitaculum cujusdam familiae, dictae Raubitarum[43]), id est, ministrorum domus Dei. Januam denique septemtrionalem respicit hortus amoenus, variis consitus arborum generibus, et columnis marmoreis artificiosissimo opere caelatis circum ornatus. In extremo horto exstat aula, inserviens presbyteris et clericis ad sumendum cibum. Egressus ex hoc templo si procedis etiam orientem versus, pervenies ad portam misericordiae, ut supra diximus, clausam, et non longe ab illa ad portam aliam apertam, quae Bab-el Asbat (Porta tribuum) dicitur, per quam patet aditus ingredientibus et egredientibus. Exeunti tibi e porta el-Asbat, et quantum

---

43) راوبة vocem peregrinam esse inde patet, quod Edrisio ejus significationem adjicere necesse visum est. Sed cujusnam sit linguae? equidem ignoro.

spatii sagittae jaculatus dimetiri potest progredienti, occurrit templum maximum atque pulcherrimum, Dominae Mariae nomini dicatum. Appellatur locus iste Dschesmania, ibique est illius sepulchrum e regione montis olivarum, qui distat ab el-Asbat uno fere milliari. In via, qua ad istum montem ascenditur, est aliud pulchrum ac praestans templum, in quo conclusi viri et mulieres mercedem a Deo O. M. expetunt. In ejusdem, quem modo commemoravimus, montis parte orientali, aliquanto cum flexu ad meridiem, est sepulchrum Lazari, quem Messias in vitam revocavit. Ad duo milliaria a monte olivarum est villa, e qua ducta fuit asina, in qua vectus est Christus cum Hierosolymam ingressus est; nunc vero est diruta, a nemine habitata. A sepulchro Lazari incipit via, qua itur ad Jordanem fluvium, dissitum ab Hierosolyma diei unius itinere. Priusquam autem ad Jordanem venias, occurrit tibi Jericho urbs, cujus supra facta est mentio; distat a fluvio tribus passuum millibus. Secus flumen, quod Jordanes vocatur, est templum magnum, a Sancto Joanne nuncupatum, n quo degunt monachi Graeci. Jordanes fluvius exiens e lacu Tiberiadis influit in lacum Sodomae et Gomorrhae. Ex parte meridionali Jordanis desertum est continuum. Ad ea quod attinet quae Hierosolymae ad austrum sunt contigua; egrediens per portam Sion, et quantum est jactus lapidis Pag. 7 progressus, pervenis ad templum Sion, magnificum et munitum, ubi est coenaculum, in quo comedit Christus Dominus cum discipulis, et mensa ibidem asservatur ad hoc usque tempus; visiturque statuto tempore diei Jovis. Ex porta Sion descenditur in angustam vallem, quae Gehinnom

appellatur, cujus in extremitate jacet templum a Petro nuncupatum. In ipsa vero valle est fons Siloë, ubi Christus Dominus curavit coecum infirmum, qui antea oculos non habuerat. Ad australem partem hujus fontis jacet ager, in quo peregrini sepeliuntur, quam terram Dominus emerat in hunc finem. Haud procul ab eo agro sunt plures domus in petra excisae, in quibus commorantur viri, qui pietatis ergo sese clausere[44]).

Bethlehem, ubi natus est Christus, distat ab Hierosolyma sex millibus passuum. In media via ista habetur sepulchrum Rachelae, matris Josephi et Benjamini, filiorum Jacobi, quibus sit pax! Huic sepulchro sunt decem lapides impositi, impendetque testudo lapidea concamerata. In Bethlehem vero illo in loco (ubi natus est Christus) est templum aedificio pulcherrimum, situ fortissimum, amplum, et supra quam dici possit ornatissimum, ita ut nullum aliud paris structurae templum conspiciatur. Est autem situm in terra plana, habetque ad occidentem[45]) portam unam, suntque in ipso pulcherrimae quaeque columnae marmoreae. In angulo templi, qui septentrionem respicit, exstat sub ipso templo spelunca, in qua natus est Christus, et intra speluncam, praesepe, in quo inventus fuit. Egrediens e Bethlehem vides ad orientem templum Angelorum, qui pa-

---

44) Quae inde a verbis: *Exeunti tibi e porta el - Asbat* supra p. 13. l. ult. versionis, et p. 6. l. ult. textus Arabici leguntur, habet quoque, paucis et exiguis varietatibus Ibn - el - Vardi p. 181. ed. Koehler., p. 88. ed. Hyland.

45) Verba من جهة المغرب e Ms. recepimus.

storibus nuntiarunt esse Christum Dominum natum. A Bethlehem ad templum Abrahami ad austrum habentur octo fere milliaria; est autem Bethlehem vicus, urbis nomine donatus, et in ejus templo sepulchrum Abrahami, Isaaci et Jacobi, quibus sit pax! et ex adverso sepulchri singulorum ex illis est sepulchrum uxoris suae. Atque haec urbs in clivo sita est inter montes densis olivarum, ficuum, sycomororum aliorumque fructuum arboribus consitos. Ad plagam septentrionalem Hierosolymae nullum exstat aedificium. Ab urbe Hierosolyma ad Neapolin urbem, septentrionem versus, est iter bidui, et a Neapoli ad Ramlam Pag. 8 magnae diei iter. Item ab Hierosolyma ad Amman et Belkam iter bidui et amplius. Ab Hierosolyma ad Tiberiadem sunt nonaginta millia passuum; a Tiberiade vero ad Ramlam, tres stationes. Tiberias est urbium Jordanicarum maxima et arce instructa[46]). Ab ea ad Tyrum est iter duarum grandium dierum, et ab hac ad ascensum Aphik[47]) dies non integra. Ab hoc ad Baisan iter etiam diei non integrae. Inde ad Amatham urbe planitiei Jordanicae, tum ad terminos territorii Jordanis, indeque ad locum quendam, qui dicitur Giamila, iter diei. A Tiberiade ad Acca*),

46) De Tiberiade multo plura habet Ibn-el Vardi p. 184. ed. Koehl., p. 92. ed. Hyland.

47) Pro ابلق, quod est in edit., e Ms. recepi أفيق, forsan veterum Hebraeum אֲפִיק sen. אֲפֵק, urbs tribus Ascher, Jos. XIII, 4. XIX, 30. Jud. I, 31.

*) De Acca, Hebraeis עַכּוֹ, Graecis *Ptolemais*, scriptoribus historiae belli sacri *Acca*, hodie *St. Jean d' Acre*, vid. quae collegimus in libro: *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 60 seqq.

duarum dierum brevium; estque haec urbs conspicua, super montem longe se porrigentem sita, longa quidem in se, at non admodum lata, occupatque longitudine spatium duorum fere milliarium. Infra ipsam ad occidentem est lacus aquae dulcis, habens in longitudine duodecim milliaria totidemque in latitudine. Caesarea est urbs maxima, habetque moenia integra et arcem munitam[48]). Inter ipsam et Jafa est intervallum XXX milliarium. A Caesarea ad Neapolim, statio una. Et similiter a Caesarea ad Ramla stationes duae breves. Item a Caesarea ad urbem Chaifa maritimam bidui est iter. Chaifa autem jacet sub promontorio Carmel, quod in mare procurrit, habetque portum navigiis grandibus aliisque opportunum. Urbs Chaifa est portus Tiberiadis, distantque ab invicem spatio trium haud magnarum stationum. A Chaifa ad urbem Accah, itinere terrestri est statio una, triginta nempe milliarium; recto autem itinere maritimo, milliaria decem et octo. Urbs Accah est magna, terminis ampla, frequens praediis, habetque portum optimum et fidum, cives convenas. Ab Acca ad Tiberiadem est duarum dierum iter. Ab Acca ad arcem ez-Zait sunt duodecim milliaria; estque illa arx pulchra in littore maris sita. Ab ista arce ad en-Nauakir[49]), tres montes albos, sublimes, longe se in maritimis oris protendentes, sunt fere octodecim milliaria. A mediis montibus en-

48) De Caesarea Palaestinae cf. Abilfedae *Syr.* p. 80. et Schultensii *Ind. Geograph.* s. v. *Caesarea.*

49) Tyrum inter et Ptolemaidem; vid. Schultens l. l. s. v. *Nauakirum*, et cf. Maundrellii (cui *promontorium album* dicitur) *Itinerar.* in Sylloge Itinerariorum a Paulo V. S. V. instructa P. I. p. 69.

Nauakir ad urbem Alexandriam sunt quinque milliaria, et ab Alexandria ad Tyrum urbem sunt quindecim milliaria. Est vero illa urbs pulchra ad mare sita. A Tyro ad Tiberiadem est iter duarum dierum non modicarum. Ab ea ad Adlun, arcem munitam secus mare sitam, indeque ad Sarfand[50]), arcem pulchram, sunt viginti milliaria. Ab ea ad Sidonem, decem milliaria. Tyrum inter et Sarfand labitur flumen Lanta[51]), quod oritur e montibus, ibique mari se mergit. A Tyro ad Damascum quatridui est intervallum. Urbs autem Damascus[52]) est e nobilissimis Syriae urbibus, situ pulcherrima, aëre saluberrima, solo foecundissima, abundantissima aquis, frugibus opulentissima, fertilitate uberrima, ditissima opibus, militibus instructissima, aedificiis summe conspicua: habetque montes atque arva, quae vocantur el-Ghuta; protenditurque el-Ghuta spatio duarum stationum in longitudinem, unius in latitudinem. Continentur in ea pagi urbium ad instar, qualis est Meza cum suis suburbiis, Barda, Charschena, Caucaba, Jalas, Caphar[53])-Susana et Bait-ol-Ahva, in qua est oratorium non multum dissimile oratorio

Pag. 9

50) Hebraeis צָרְפַּת *Sarepta*, vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 28.

51) Pro لنطة videtur ليطانة s. ليطانى legendum esse; vid. Burckhardt *Travels in Syria* p. 42. vers. teuton. et cf. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 4.

52) Cf. de ea Abilfedae *Syr.* p. 100. coll. p. 15., et Ibn el-Vardi p. 171. ed. Koehl., s. p. 80. seqq. ed. Hyland.

53) Pro كفو, ut est in edit., haud dubitavimus e Ms. كفر *pagus* reponere. سوسنة i. q. سوسن *lilium.* In Ms. est شوشنة.

Damasceno. Ad portam Damasci occidentalem habes vallem el-Benefsag (s. Benefsedsch, i. e. violarum)[54]), quae duodecim milliaria occupat longitudine, tria latitudine, totam variis fructuum generibus consitam, et fluminibus quinque distinctam. Aquae vero per el-Ghutam decurrentes, exeunt e fonte el-Faidsje[55]), qui ortum habet in cacumine montis, quare aquae de summitate montis hujusce defluentes non secus ac magnus amnis maximum edunt murmur, strepitusque ingens e longinquo auditur[56]). Aquae descensus a summo monte conspicitur supra vicum Ail, dum ad urbem pervenit. Urbem cum attigit, dividunt se inde plures fluvii de illa nominati, ut fluvius Berda, fluvius Tura, fluvius Jazid, fluvius Canat-el-Meza, fluvius Banias, fluvius Sacat, fluvius Jaschear, et fluvius Aavia[57]), ejus vero aqua non est potui idonea, quoniam urbis purgamentis et operariorum rejectamentis atque canalibus minoribus inquinatur. Urbem hic fluvius mediam secat, impositusque ei est pons, per quem homines transeunt. Ex omnibus illis, quos com-

---

54) De بنفسج vid. DE SACY ad *Abdollatiphi Memorabilia Aegypti* Gallice ab ipso reddita p. 130. not. 14. et GARCIN DE TASSY *Oiseaux et les fleurs* p. 148.

55) Cf. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 247.

56) Quae jam sequuntur usque ad verba: *estque urbium Syriae opulentissima*, infra p. 22. lin. 18. in textu Arabico a verbis: ويرى نزول المآ Pag. 9. lin. 9. usque ad verba وهى من اغنيا البلاد الشامية Pag. 10. lin. 20. sunt e Ms. inserta.

57) Pro عاوية in Ibn el-Vardio p. 175. ed. Koehl. legitur عادية, et in edit. Hylandr. p. 84. داعية.

memoravimus, fluviis ductus derivantur aquarum, qui urbem permeant, et vias, fora, plateas, balnea interfluunt, atque in hortos illius tandem delabuntur. In ea templum est majus[58]), cui par est nullum in orbe terrarum structurâ, nec pulchrius eô formâ, nec solidius quoad firmitudinem, nec validius quoad fornicum nexum, nec elegantius quoad conformationem, nec admirabilius quoad magnificentiam variis speciebus aurearum caelaturarum, laterum laevigatorum et marmorum politorum. Qui ad hoc templum accedit a parte portae Chaidur ascendit ad illud gradibus fere triginta e marmore albo excisis. Qui vero ad illud venit a parte portae el-Barid, et Sacelli[59]) viridis, aut arcis dementium, aut lapidis (vel muri) aurei, aut porta hortorum, ingreditur in plano solo, nullis gradibus. Sunt in hoc templo quaedam memoratu digna admiranda, ut duplex septum[60]), et fornix super locum ubi antistes consistit[61]) apud adytum, quod exstructum dicitur a Sabaeis et fuisse in eo eorum idola. Tum fuit hoc templum in potestate

---

58) De جامع et مسجد vid. quae Reiskius notavit in *Annotatt. historr.* ad Abulf. Annall. T. I. p. 108. not. 195.

59) Nomen قبّة, quod proprie *concameratum opus* significare constat, et de *sacello*, tecto fornicato instructo, usurpari, evicit Lorsbach in *dem neuen Repertor. für bibl. u. morgenl. Literat.* ab H. E. G. Paulus edito P. III. p. 112. 113.

60) Iis quae de hoc templo hic leguntur consona habet Abulfeda Syr. p. 15. seq. edit. Koehl.

61) De مقصورة vid. Herbelot *Biblioth. Orient.* s. v. *Macsurah*, et Reiskii not. ad *Abilfedae Annall.* T. I. p. 376.

Graecorum, qui in eo sua sacra fecerunt. Post eos erat regibus ex idololatris, et locus idolis suis sacer. Hinc de- Pag. 10 volutum est ad Judaeos. Illo tempore exstitit Johannes, Zachariae filius, cujus caput fixum est super ea templi porta, quae porta Chairun[62]) dicitur. Tum eo templo potiti sunt Christiani, qui illud per aliquod tempus tenuerunt, et in aedem sacram mutarunt, in qua sua sacra fecerunt. Postea expugnarunt eam Muslemi et in fanum majus adsciverunt. Valid, Abdol-Maliki filius, ex Ommiadum gente, illud denuo exstruxit, ejusque solum marmore stravit, fornices vero et columnarum ejus capita fecit aurea; ejus quoque locum sacrosanctum, ubi antistes consistit, deauravit, reliquos parietes fecit argenteos, in gemmarum similitudinem. Tectum totum ambit lorica, sicut templum circumdat murus, ad quatuor partes elegantissime fabricatus, et admirandum in modum exornatus. Fertur, in summo tecto esse scrobes plumbeos, solidissime concinnatos, unde in canalibus plumbeis aqua huic templo ad lotiones necessaria defertur[63]). Valid Abdol-Maliki filius, cujus supra mentio facta, narratur in templi hujus majoris exstructionem totius Syriae reditus duorum annorum consumsisse[64]). Damascus est urbs

---

62) Pro حيرون in Abilfedae Syr. l. l. est جيرون.

63) Pro نتح, uti in Ms. est, legendum نشج, verbum denominativum a نَشَجٌ *aquae ductus*, *canalis*.

64) Validum miro aedificandi studio flagrasse, dicit Abulfeda *Annall.* T. I. p. 426., et de fano ab illo Damasci exstructo, vid. eundem p. 428. cf. Reiskii Annotatt. historr. not. 195. in fine.

recens condita; eratque ex ejus locis olim ante Islamismum ille locus cui nomen est el-Dschabia[65]); et aedificata est Damascus prope eam. Sunt huic urbi portae plures, veluti porta Dschabiae, porta Thomae, porta salutis, porta hortorum, et porta parva. Urbs Damasci intra se continet plures species rerum elegantiorum, varia genera operum artis atque pannorum sericorum, veluti pannos e serico grossiori, et pretiosores auro intextos admirandae texturae atque formae praestantissimae. Illa ad omnes quaquaversum regiones exportantur, iisque Damasceni in omnes terras et vicinas et longius remotas mercaturam exercent. Sunt Damasco ad ejus fluvios plures molae intra ipsam urbem. Gaudet magna tritici copia, variisque fructuum generibus. Edulia dulcia, quae in hac urbe parantur, quod attinet, nusquam alias plura illisque praestantiora reperiuntur. Artificum opera, quae in hac urbe fabricantur, vendibilia sunt, et ex ejus mercatu plurimum lucri redit, estque urbium Syriae opulentissima. A Damasco ad urbem Baalbec, in plaga orientali, habentur duae stationes; estque haec urbs munita[66]) ad radices montis apposita[67]). Ambit eam

---

65) De hoc oppido vid. Reiskii *Annotatt. historr.* ad Abilfedae Annall. T. I. p. 41. not. 89.

66) Pro خصيبة, uti legitur in edit., legendum حصينة, uti Ibn el-Vardi habet, p. 187. ed. Koehl., p. 94. ed. Hyl.

67) Quae jam sequuntur usque ad verba: *omnia hujus urbis aedificia sunt admiranda*, p. 23. lin. 19., in textu Arabico Pag. 10. lin. 21. inde a verbis: وعليها سور حصين usque ad verba كل شيء عجيب Pag. 11. lin. 8. sunt e Ms. inserta. Ceterum vid. de Baalbec Abilfedae *Syr.* p. 103., et Ibn el-Vardi p. 187. ed. Koehl. p. 94. edit. Hyl., atque libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 280. seqq.

murus munitus lapidibus exstructus, viginti mille passuum amplitudine. Urbem fluvius mediam secat, et aqua in multas domus derivatur. Impositae sunt huic fluvio plures molae. Abundat frumento rerumque bonarum copia, fructibus iisque nobilioribus, vineis et arboribus, esculentis, campisque uberibus herbis. Ex admirandis ejus aedificiis Pag. 11 celebrioribus dignae sunt memoratu ruinae ob altitudinem structurae suae et idolorum (statuarum). Quod potissimum est admirandum sunt duo theatra, majus et minus. Majus fertur exstructum temporibus Salomonis, filii Davidis. In eo admirationem movent saxa, quorum singula sunt decem cubitis plus minusve longa. Est quoque in eadem aliquid super columnis albis constructum, cujus adspectus terrorem incutit. Theatrum minus prorsus est dirutum, ejusque ornamenta evanuerunt. Est ex illo nihil reliquum nisi paries viginti cubitorum longitudine, totidemque a solo altitudine. Sunt in eo nonnisi septem lapides, unum in inferiore parte, duo super illum, et quatuor super his duobus. Omnia hujus urbis aedificia sunt admiranda. Ab urbe Damasco ad Bairut est iter duarum magnarum dierum, et pari spatio ipsa distat ab urbe Saida. A Damasco ad Adhraat, quae est urbs Basanitica, sunt quatuor stationes. A Damasco ad Nablusam stationes sex, occidentem versus. A Damasco ad Atrablos (Tripolis), urbem maritimam, stationes quinque. Urbs Saida quoque in litore maris salsi sita est [68]).

---

68) Quae nunc sequuntur usque ad verba: *deducitur in canalibus a vicinis montibus* infra p. 24. lin. 13., in textu Arabico p. 11. lin. 12. inde a verbis: فيها سور usque ad verba من جبالها في قناة lin. 19. sunt e Ms. recepta.

In ea est murus lapideus, qui de muliere quadam, quae ante Islamum vixit, denominatur. Est ipsa urbs magna, foris exculta, vile ibi annonae pretium. Circumdata est hortis arboribusque, atque abundat aquis. Suburbani agri sunt ampli. Divisi sunt in quatuor tractus, qui ad montem usque Libanum pertingunt. Tractus Charbas, quem permeat fluvius el - Charr, celebris est ob annonae et frugum ubertatem. Tractus el - Sariath nobilis est. Duo reliqui tractus sunt Capharphila et er - Rami. Et is quidem est fluvius, qui montes illius secat et in mare effunditur. Hi quatuor tractus continent plus quam sexcenta praedia. Aqua qua illorum incolae ad potum utuntur, deducitur in canalibus a vicinis montibus. Est in ista urbe, Saida puta, fons celebris, in quo crescunt verno tempore pisciculi, digitali longitudine, masculi et feminae, signis quibusdam sexuum varietatem distinguentibus. Tempore, quo coire solent, capiuntur et siccantur; cumque res postulaverit, sumitur unus ex ipsis, contunditur, et cum aqua hauritur, efficitque, ut homo vehementi libidine exardescat, et absque lassitudine et intermissione coëat quantum voluerit. Pag. 12 Hi autem pisciculi sunt parvi, ad modum lacertarum [69]), habentque parvos pedes et anteriores et posteriores agiles. Nos ipsi eos non unâ vice vidimus. A Saida ad Chamma,

---

69) Verba: *habentque parvos pedes usque* ad: *vidimus*, in textu Arabico a لها ad مرة p. 12. lin. 1. sunt e recepta Ms. Ceterum loquitur de *lacerta*, *Scincus marinus* dicta, insigni Aphrodisiaco Orientalibus in multo usu; vid. Hasselquist *Reise nach Palaestina* p. 359. seqq. Descriptionem hujus animalis claudit hisce verbis: „Error fere omnium auctorum, dum piscem crediderunt scincum marinum."

arcem secus, mare constructam, est intervallum octo millium passuum. Ab hac ad arcem Kalmun ad mare quinque milliaria [70]). Ad eam est pons perquam latus fluvio impositus. Estque arx super eo exstructa in flexu sinus maris inaccessa. Inde ad arcem Naama, quae est veluti urbs parva, sunt septem milliaria [71]). Naama est urbs pulchra. Frequentissima plantarum terrae ejus est arbor siliquae [72]). In nulla alia terrae cultae parte hic fructus tanta copia et praestantia reperitur. Hinc ex eo loco cum illo mercatura exercetur in Syriam et Aegyptum, atque a Naama siliqua Syriaca denominatur. Quamvis enim siliqua in tota Syria frequens est, tamen in Naama est copiosissima et praestantissima. Ab arce Naama ad promontorium Bairut sunt viginti quatuor milliaria [73]). Haec quoque urbs ad litus maris sita est. Habet murum lapideum magnum et amplum [74]).

---

70) Quae sequuntur a verbis: *Ad eam* usque ad: *inaccessa*, in textu Arabico p. 12. lin. 3. a وعليها الحصن usque ad جون lin. 4. inseruimus e Ms. Nomen جون, quod neque in Camuso neque in Golii Lex. reperitur, Edrisius saepe de *sinu maris* usurpat, veluti pag. 26. edit. Rom. lin. 18., et ead. pag. 14. legitur Plurale اجوان.

71) Quae sequuntur: *Naama est*, usque ad: *praestantissima*, lin. 12., in textu Arabico pag. 12. lin. 5. a والناعمة usque ad واطيب p. 12. lin. 9. recepimus e Ms.

72) De خرنوب *siliqua* vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 57. T. I. p. 817. seqq. edit. Lips., Celsii *Hierobot.* P. I. p. 226. seq., et Hasselquist l. l. p. 531.

73) Quae sequuntur: *Haec quoque urbs* usque ad: *aquâ cisternarum*, p. 26. lin. 6., in textu Arabico p. 12. lin. 9. a verbis ومدينة بيروت usque ad من الآبار pag. 12. lin. 14. inserta sunt e Ms.

74) De urbe Bairut vid. Abilfedae *Syr.* p. 94., cf. Schultens In-

In ejus vicinia est mons, in quo fodina ferri praestantissimi, ex qua magna hujus metalli copia exscinditur et extrahitur atque in Syriam exportatur. Ad austrum urbis est sylva pinorum, quae ad Libanum usque pertingit, estque in flexuoso sinu *) duodecim millium passuum. Incolae in potum utuntur aquâ cisternarum. Ab hac (Bairut) Damascum est bidui iter. A Bairut ad arcem el-Moradesiae sunt octo milliaria. Inde ad Nahr el-Calb (flumen canis), arcem parvam ad mare positum, sunt sex milliaria[75]). Ab ea ad Dschuniam, arcem magnam ad mare sitam, quatuor milliaria. Incolae hujus arcis sunt Christiani Jacobitae. Hinc ad Atfat-Salam, sinum magnum, decem milliaria. Inde ad Machur-Dschebail, arcem fortissimam. Ab ea ad ostium fluminis Ibrahim[76]) tria milliaria. Ab eo flumine ad urbem Dschebail quinque milliaria[77]). Est urbs pulchra

---

dex s. v. *Berytus*, et libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 19. seqq.

*) تكسير Nom. action. Conjug. II. *in partes plures confregit*, nostro saepius, veluti p. 33. lin. 20. edit. Rom., est *anfractus sinuosus*.

75) Quae sequuntur: *Ab ea* usque ad: *decem milliaria*, in textu Arabico p. 12. lin. 17. a جونية usque ad عشرة اميال lin. ead. sunt e Ms. recepta.

76) De hoc flumine vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 3. et 56.

77) Quae sequuntur: *Est urbs* usque ad: *mercibus destinatum*, p. 27. l. 5. in textu Arabico p. 12. l. 19. a verbis وهي مدينة usque ad وحط l. 21. e Ms. inserui. حَطّ i. q. محطّ a حط *demisit*, *dejecit*, est non tantum *locus ubi quis ex itinere descendit deponitque sarcinas*, verum et quod Graeci ἐμπόριον dicunt, locus ubi merces reponuntur. Ceterum de urbe Dschebail,

ad mare sita, habetque murum lapideum munitum. Est ei tractus amplus, gaudetque arboribus, fructibus, et vineis; caret vero aquâ fontana, quare incolae ad potum aqua ex cisternis utuntur. Habet portum et receptaculum peregrinis mercibus destinatum. Ab urbe Dschebail prope mare ad Bathrun arcem pulchram, decem milliaria. Ab ea ad Anf el-hadschar (i. e. nasum s. promontorium lapidis) secus mare positam sunt quinque milliaria. Ab Anf el-hadschar ad urbem Atrablus (Tripolin) Syriae sunt octo milliaria [78]). Magna est haec urbs, muro lapideo alto cir- Pag. 13 cumdata, suntque ei horti, agri, et pulchra praedia. Reperiuntur in ea oleae, vineae, cannae sacchari, variaque pomorum et frumentorum genera magna copia. Est in ea hospitium, quod a multis aditur. Mare illam a tribus partibus alluit, estque unum e refugiis (locis munitis, tutis) Syriae, ad quod mittuntur quibus comparari potest quaestus, et plura frumentorum et mercium genera. Vicinae sunt ei aliae arces et castella habitata, quae ad illius dictionem pertinent, ut Anf el-hadschar, cujus mentionem fecimus, arx Calamun, arx Abi-'l-Adas, et Armusijah. Urbi Tripolis ad meridiem est arx, quam Filius Sadschili Anu-

---

Graecis et Romanis *Byblos* dicta, cf. ABILFEDAE *Syr.* p. 109., A. SCHULTENS *Indic. geogr.* s. v. *Sjibla*, et libr. nostr. antea laud. Vol. II. P. I. p. 17.

78) Quae sequuntur a verbis: *Magna est haec urbs*, usque ad: *inter duos fluvios sita*, p. 28. lin. 3. in textu Arabico p. 12. lin. ult. a مدينة عظيمة usque ad بين واديين, p. 13. lin. 10. e Ms. inseruimus. Ceterum de urbe Tripolis cf. ABILFEDAE *Syr.* p. 101., SCHULTENS *Indic.* s. v. *Tripolis* et libr. nostr. laudat. Vol. II. P. I. p. 13.

chacus exstruxit, unde Tripolim expugnavit; illam inter et urbem sunt quatuor milliaria. Est arx illa perquam inaccessa, media inter duos fluvios sita. Respiciunt urbem Tripolim quatuor insulae ordine dispositae. Prima, continenti propinquior, est insula Nardsches (Narcissi). Consequitur hanc insula Al-oomd (columnarum); post hanc est insula er-Raheb (monachi), ad hanc postremo accedit insula Avadhcun. Ab urbe Tripoli in litore pergens venis ad Ras el-Chasn (caput arcis)[79], quae est urbs parva, incolis frequens, ad extremitatem sinus cujusdam, cujus sinus longitudo recta linea spatio quindecim milliarium extenditur. Sin autem secundum sinuosos litoris flexus mensuretur, triginta milliaria. Vocatur sinus Arka. Intra eum tres sitae sunt arces, parum ab invicem semotae. Una, Tripoli vicinior, Leonorus appellatur, altera Banina, adjacetque fluvio ejusdem nominis; tertia vocatur Chasn el-chamam (arx columbarum). Inde ad Arcam, cujus urbis[80]) vici fervent incolarum frequentia; ejus mercatura est copiosa, et incolae sunt opulenti. Potus eorum pervenit ad eos in canalibus, qui ducti sunt e fluvio urbi vicino. Gaudet urbs multis hortis multisque fructibus, et canna sacchari. Eam inter et mare sunt tria milliaria. Incolae illius vitae commoditate et prosperitate fruuntur, bonisque affluent. Domus urbis sunt gypso et terrâ exstructae.

---

79) Verba: *quae est urbs parva, incolis frequens*, Arabice وهو مدينة صغيرة عامرة اهله sunt e Ms. inserta.

80) Quae sequuntur usque ad verba: *et terrà exstructae*, lin. ult. in textu Arabico p. 13. lin. 18. a بالحارة usque ad فالتراب p. 13. lin. 22. sunt e Ms. recepta.

Terrae Chems metropolis est ejusdem nominis[81]). Est urbs pulchra in planitie sita, incolis frequens. Frequentant eam peregrini cum omnis generis mercibus. Fora ejus nullo non tempore negotiatoribus fervent. Incolae mitis facilisque indolis bonis affluentem commodamque vitam agunt, Pag. 14 mulieres obesitate et pulchritudine sunt insignes. Aqua ad potum incolis defertur in canalibus a vicino quodam pago, ab urbe unica statione dissita, tractum Damascenum versus. Orontes fluvius, qui et el-Maclub (inversus) dicitur, fluit ad aquam illius pagi spatio jactus sagittae plus minusve. Habent incolae ad fluvium istum villas continuas, hortos, et rivos multos. E pago illo devehuntur ad urbem fructus. Vineae durante Islamo plerisque in terris magna ex parte perierunt; solum vero illarum aptum est satis et frugibus foecundum. Aër hujus urbis omnium Syriae urbium temperatissimus est; estque illa talibus incantationibus munita, ut nulli eam serpentes aut scorpiones ingrediantur, imo si ad portam civitatis adferantur, illico pereant. Est etiam in eadem urbe super excelsam testudinem, in medio urbis erectam, statua aenea equitis formam referens, quae pro vario ventorum circumductu varie circumvolvitur. In ejus testudinis pariete lapis est infixus, in quo scorpii figura est incisa; et cum quis morsus sive punctus fuerit, quod secum defert lutum ei lapidi applicat,

---

81) Quae sequuntur usque ad verba: *temperatissimus est*, lin. 16., in textu Arabico p. 12. lin. 22. inde a verbis ومدينة حمص usque ad verba ببلاد الشام p. 14. lin. 2. e Ms. recepimus. Ceterum de urbe Chems cf. quae habent Abulfeda *Syr.* p. 104., Ibn el-Vardi p. 186. edit. Koehl., p. 92. edit. Hyl., et A. Schultens in *Indic. geogr.* s. v. *Emessa.*

ac morsui admovet, statim sanatur. Plateae hujus urbis sunt duro lapide stratae. Agri ejus sunt fertilissimi, eorumque sata sufficiunt victui omnium incolarum. Est in ea templum majus, quod magnitudine omnia templa majora urbium Syriae superat.

Ab urbe Chems ad Chaleb habentur stationes quinque, et ab eadem Chems ad Antarsum mari adjacentem duae stationes. Via ab Arca ad Antarsum per oras maritimas capiendum est: egrediendum enim ex urbe Arca ad arcem, quae vocatur Schendsch, tum ad urbem Antarsum, quae quidem sita est in extremitate magni alicujus sinus, spatiosis montibus ut plurimum occupati. Secatur autem iste sinus XV. milliarium mensura recta linea sumta[82]). Urbem Arvad quod attinet est ea insula e regione Marakiae urbis ad litus maris sitae[83]). Eam inter et insulam Arvad spatium est fere duorum sagittae jactuum. Ea insula expugnata et erepta est Francis tempore el-Malik en-Naser, filii Kelavuni[84]); hodie nullas incolas habet; urbs Marakia quoque

82) Quae sequuntur inde a verbis: *Urbem Arvad* usque ad verba: *ad plagam orientalem*, p. 31. lin. 4. in textu Arabico p. 14. l. 18. a verbis ومدينة أرواد usque ad verba من جهة الشرق p. 14. lin. 23. sunt e Ms. inserta. De urbe Arvad. veterum Arado, vid. quae attulimus *in dem Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 6. seqq.

83) De hac urbe vid. SCHULTENS Indic. sub v. Commemoratur et ab ABULFEDA *Annal.* T. IV. p. 88.

84) Quod hic de Arado insula ab En-Naser Kelavuni fil. expugnata legitur, a manu seriore insertum esse necesse est. Ille enim Sultanus e Baharitarum familia, quae inde ab anno 1258. nostrae aerae Aegyptum et Syriam tenuit, anno demum 1293. imperium capessivit: vid. RASMUSSEN *Anna-*

deserta est, cujus incolae metu Francorum in montana migrarunt. Hodie locus desertus est, nisi quod domus ejus adhuc superstites sunt, itemque sacchari torcular, extra urbem ad plagam orientalem. Antarsus urbs est parva, ad mare apposita, fortibus muris cincta. Haud longe ab ea in mari exstat magna quaedam insula, in qua est magnum Pag. 15 templum Christianorum[85]), altum, munitum, portas ferreas habens, ut instar castelli sit. Ab Antarso per meridionalem terrae continentis partem ad arcem el-Khevabi (hydriarum), in vertice montis collocatam, habes intervallum XV. milliarium[86]). Arx est inaccessa: ejus incolae sunt Assasini[87]), qui ab Islamo defecerunt, nec resurrectionem mortuorum, nec judicium post mortem credunt, et qui eam fidem profitentur irrident. Antarsus est unus ex portubus terrae Chems. Ab urbe Chems ad Damascum sunt stationes quinque, totidemque stationes a Tripoli Syriae ad Damascum.

Iter, quod a Damasco ducit ad urbem Jathreb (Medina) est hujuscemodi. Egredieris Damasco ad diversorium quoddam parvi amnis ripae adjacens, indeque ad Dea, conficies-

---

les Islamismi, p. 36. Edrisius vero suum opus geographicum jam anno 1153. perfecit; vid. J. M. Hartmanni Comment. de Edrisio ejus Africae praemissa p. LVI.

85) Verba: *altum* usque ad: *sit*, in textu Arabico p. 15. lin. 1. a شاهقة usque ad كالمحرس ead. lin. sunt e Ms. inserta.

86) Quae jam sequuntur inde a verbis: *Arx est inaccessa*, usque ad verba: *ex portubus terrae Chems*, in textu Arabico p. 15. lin. 3. a وهذا الحصن usque ad من فرضة حمص lin. 5. sunt e Ms. recepta.

87) En *Assasinorum* nomen! quod apud Orientales scriptores se non reperisse, miratur Wilken *Geschichte der Kreuzzüge* P. II. p. 252. not. 21.

que stationem unam. Hinc ad Dhat-elmanazel (i. e. habens diversoria), pagum populosum, ac deinde ad Janu stationem alteram. Inde ad Bathaniam stationem item unam. Ab hac ad Damna pagum, stationem unam. Ab hoc ad urbem Tabuc[88]), tum ad Mochadatha (i. e. novam), tum ad el-Akraa (i. e. calvum), tum ad Chanifijah, tum ad Chadschar (i. e. lapidem), turrim fortissimam, inter montes exstructam, in regione Thamud, stationem unam. Hinc ad oppidum parvum ad parvum fluvium[89]), tum ad Rachaba (i. e. amplam aream), tum ad Dhi 'l-marvat (i. e. locum silicibus frequentem), tum ad el-Chadd (i. e. terminus), tum ad Sowaidam (i. e. subnigricantem), tum ad Dhi-chaschab (i. e. habentem ligna), denique ad urbem Jathreb. Via autem, qua itur Damasco ad Racca, est octodecim fere stationum.

Absolvam[90]) totius Syriae descriptionem recensione regionum et praefecturarum ejus: regio Palaestina[91]), cujus

---

88) Pro الى وادى, quod est in edit., recepimus e Ms. الى بلد صغير على نهر صغير.

89) Hanc urbem transire et eos, qui e Damasco sacrum iter Meccam instituunt, notat in illius itineris descriptione Burckhardt *Travels in Syria* p. 659. p. 1037. vers. teuton.

90) Quae jam sequuntur usque ad finem omnia desunt in edit. et sunt e Ms. recepta. Cum ea quae hic habetur Syriae divisione in *tractus*, اكوار, in plerisque convenit ea, quam refert Ibn el-Vardi p. 169. edit. Koehler., p. 80. ed. Hyland. Aliam in praefecturas divisionem habet Abulfeda p. 7., ubi cf Koehleri not.

91) Verba quae sequuntur Arabica, التى منها أطباق, in versione non expressi, ignorans quippe, quam significationem nomen أطباق hir obtineat.

est urbs sancta; tractus Gamras[92]), tractus Lydda, tractus Jabna[93]), tractus Jafa, tractus Caesarea, tractus Nablus cum Sebaste, tractus Ascalon, tractus Gaza, tractus Bait-Dschabrin. In parte ejus meridionali sunt nullae praefecturae, sed campus el-Tih[94]); haec est terra, quam Israelitae per quadraginta annos pererrarunt, quo toto temporis spatio nec urbem intrarunt, nec in domum se receperunt, nec ullus eorum suum sibi victum in olla sua paravit. Longitudo hujus deserti prope sex dierum itinere protenditur. Contiguum est Palaestinae a plaga orientali. Porro tractus Jordanicus, cujus maxima urbs est Tiberias. Ad illum pertinet et el-Ladschun, et regio Samaritana, id est, Nablus, tum Baisan, Jericho, Waara, Amscha, Chaswa, Charadil, et Munia. Tum tractus Accah, tractus Nasrah, tractus Sur; ei ad orientem contigua est terra Damascena, cujus est el-Ghutah, terra Baalbek, el-Bekaa, et terra Libanon; tractus Chula, Pag. 16 tractus Atrablos, tractus Dschebail, tractus Bairut, tractus Saida, tractus Bathania, tractus Chul, tractus Dscholan, tractus Dzahirat, tractus el-Belka, tractus Dschabrin el-Ghaur, et Cafr-tab, tractus Amman, tractus esch-Scherath,

---

92) Pro غمراس in Ibn-ol-Vardio est غمداس.

93) Pro بيبنا, ut habet Ms. nec non Ibn-el Vardi, non dubitavi يبنا ponere, nomen urbis antiquissimae, olim Philisthaeorum, יַבְנֵה 2 Chron. XXVI, 6. Vid. SCHULTENS *Ind. geogr.* s. v. *Jafna*, et cf. quae de urbe *Jabne* hodienum superstite narrat VOLNEY *Voyage en Syrie* T. II. p. 214. ed. quatr., s. P. II. p. 251. vers. teuton.

94) Vid. quae de hoc deserto e Jakuto attulit KOEHLERUS in Addendis et Corrigendis (in Notis) Abulfedae Tabulae Syriae praemissis plagula *o* p. 1.

el-Bosrah, et el-Dschabiat. Hic terrae tractus ad orientem conterminus est deserto, ad austrum vero terrae Samara et terrae Aad. Tractus Damascenus confinis est terrae el-Awasem[95]) et terrae Kinnesrin. Urbs Damascus est polus et cardo omnium tractus ejus urbium. Ex ea ad Baalbec sunt duae stationes, ad Chems vero est quinque dierum iter. A Damasco ad Tiberiadem sunt quatuor stationes, ad Tripolin vero ad mare Graecum est quinque dierum iter; ad extrema el-Ghutah est diei iter; ibi confinis est deserto. A Damasco ad Bairut est bidui iter, ad Edsraat vero, id est, Bathania, est quatuor dierum iter, ad el-Chul bidui iter. Syriae longitudo incipit a Malatia et porrigitur ad Raphach. Via a Malatia ad Manbedsch est quatuor stationum, inde ad Chaleb est bidui iter, ad Chems quinque dierum iter. A Chems ad Damascum est quinque dierum iter, ad Tiberiadem quatuor dierum. A Tiberiade ad Ramla est trium dierum iter, a Ramla ad Raphach bidui iter. Hoc efficit spatium XXXV. stationum. Atque haec sunt quae continentur Parte quinta climatis tertii. Laus sit Deo!

---

95) I. e. „*defendentium locorum*, sive الثغور *portarum* et limitaneorum praesidiorum, sub quibus Ciliciae urbes *Adana* et *Tarsus*, quin et Cappadocum *Malatia* comprehenduntur." SCHULTENS in Ind. Geogr. s. v. *Syria*. Adde Koehleri not. ad ABULFEDAE *Syr.* p. 26. not. 112.

E LIBRO

KHALILI BEN-SCHAHIN, THAHERITAE,

QUI INSCRIBITUR

FLOS [1] EXPOSITIONIS PROVINCIARUM

ET

DECLARATIONIS VIARUM ET TRACTUUM.

Sectio descriptionem Syriae continens. Nomen *Esch-Scham* significat *bonum* [2]). Alii dicunt, hanc regionem appellari *Scham*, quod Caabae ad sinistram (i. e. aquilonem) sita est, quemadmodum *El-Yemen* appellatur regio Caabae ad dextram (i. e. austrum) sita. Alii alia dicunt. Eo quod in Corano [3]) dicitur: *circa quem benediximus*, Es-Sohaili ait indicari Syriam. Quod in alio Corani loco [4]) dicitur:

---

1) Nomen زَبْدَة denotat *spumam lactis* ejusdemque *florem*, hinc, ut Latinorum *flos*, optimam praestantissimamque rei alicujus partem. In hac vero inscriptione significat *selecta* ex opere majori *Expositio provinciarum* rel. inscripto. Vid. DE SACY *Chrestom. Ar.* P. II. p 301.

2) Imo *infaustum* شام notare constat. Veram appellationis rationem auctor statim subjungit. Alia etyma dabit ABULFEDA *Syr.* p. 5.

3) Sur. XVII, 1.

4) XXIII, 52.

recepimus utrumque in locum sublimem, habentem quietem, et fontem aquae purae, asserunt significare Damascum. Veteres diviserunt Palaestinam in quinque partes [5]). Earum *prima* est *Palaestina*, cujus fines incipiunt a via qua Aegyptum itur, Raphacha, id est, el-Arisch, hinc ad Gazam, et inde ad Ramla procedunt. Palaestinae urbes sunt Aelia, id est, domus Sanctuarii (Hierosolyma), Ascalon, Ramla, Nablusa, et Chebron urbs celebris amico Dei [6]), cui sit pia memoria et pax! Palaestinae longitudo a Raphacha Pag. 18 ad Ladschun est quatuor dierum iter; ejus latitudo est a Jafa ad Hierichuntem. Provincia *secunda* est *Chauran.* Urbs ejus maxima est Tiberias; aliae ejusdem urbes sunt Jarmuk et Baisan. *Tertia* est *el-Ghutah*, cujus urbs maxima est Damascus. Illius est et Tripolis, quam nonnulli terrae sanctae [7]) accensent, Safad et Baalbek. Haec loca sunt quidquid haec provincia continet urbium. *Quarta* provincia est *Chems.* Eam urbem nec serpens nec scorpio intrat [8]). In eam quingenti e sociis legati Dei [9]), cui sit fausta apprecatio et salus! habitatum venisse dicuntur. Ex illius

---

5) Eandem Syriae in quinque partes, خمس شامات, divisionem refert Ibn-el-Vardi p. 176. ed. Koehl., p. 84. ed. Hyland. Cf. quae notavit Koehlerus ad Abulfedae Tab. Syr. p. 7. not. 22.

6) Ibi commoratus est Abrahamus, Orientalibus *amicus Dei* appellatus, sub terebinthis Mamres, Genes. XIII, 18.; ibique ejus sepulchrum, XXIII, 19. Cf. Abulfedae *Syr.* p. 87.

7) *Terra sancta* appellatur Palaestina in Corano V, 24.

8) Vid. supra p. 29.

9) De Mohammedis sociis vid. Abulfedae *Annall.* T. I. p. 196.

praefecturis est urbs Salamia, in qua est monimentum[10]) Alii, Ben Abi Taleb, cui Deus sit propitius[11]). *Quinta* provincia est *Kinnesrin.* Ejus urbs maxima est Chaleb; ejusdem provinciae urbes sunt Chamath, Sermain, et Antiochia, quae dicitur esse urbs Hhabibi An-Nadschari[12]) (i. e. fabri lignarii).

Eparchia[13]) *Gazensis*, a Gaza urbe denominata, quae est urbs pulchra in solo plano sita, abundat fragibus. Sunt in illa templum, collegia, et pulchra aedificia, quae admirationem movent, *aula regia* appellata. Est haec eparchia ampla, comprehenditque plures praefecturas et oppida. Ramla urbs non est eparchia, sed provincia, quae multa oppida continet. Urbs illa est pulchra, suntque in ea templa, collegia, et monimenta sanctorum. Inter illa Templum al-

---

10) Nomen مَزَار proprie *locum visitationis* denotat, sed usurpatur speciatim de iis locis, quibus viri sanctitate celebres et martyres sepulti sunt, quae adire solent pii Moslemi et sacra celebrare in memoriam illorum virorum sanctorum. Nobis nomen illud saepius apud Nostrum recurrens, brevitatis causa *monimentum* reddere visum est.

11) Sed hunc Chalifam constat in vicinia urbis Cufa sepultum esse, eo loco quo hodie urbs *Mesched-Ali*, مشهد على, i. e. martyrium Alii exstat. Vid. Niebuhrii *Reisebeschreib.* P. II. p. 254. Cf. Abulfedae *Descript. Iracae* latine reddit. a Reiskio *in dem Magazin für die neue Historie u. Geographie* P. IV. p. 257.

12) Hujus sancti martyrium hic esse, dicit Jacutus in Lexico Geographico, apud Schultensium in Ind. Geogr. ad Vitam Saladini s. v. *Antiochia.* Sacrum illius martyris tumulum visitasse Saladinum narrat Bohaeddinus p. 86.

13) Recensita vetere Syriae divisione, auctor nunc agit de singulis provinciis, in quas sua aetate hic terrae tractus divisus erat.

bum est maxime admirandum. In subterranea ejus crypta dicuntur quadraginta sociorum (prophetae) sepulchra esse. Sunt in ea provincia et alia plura loca sancta, quae commemorare longum foret, ut sepulchra fratrum Josephi, cui sit pax! Tum sepulchrum Abi Horeirae[14]), et sepulchrum Salmani Persae; atque Sanctuarium nobile (Hierosolyma), et oppidum amici (Dei, i. e. Chebron), quorum descriptionem supra suis locis dedimus[15]).

Eparchia *Carchensis* Syriae non accensetur, sed est eparchia separata, quae et Mâb[16]) vocatur. Urbs Carc[17]) est munita, una ex arcibus inaccessis Islami. Castellum habet, cui non est simile in terris nec Islami nec infidelium. Appellatur castellum el - Gorab (i. e. corvorum). Numquam fuerat vi expugnatum, sed eo sese potitus est Salahh - ed - din, Joseph Ben Ijob, cui propitius sit Deus! postquam urbem sanctam expugnasset, anno DLXXXIII. Erat in potestate principis Arnaldi[18]), qui ad sacram aedem (Meccanam) iter facientes aggressus est. Quod hic pluribus enarrare longum foret. At paucis absolvam: Saladinus

---

14) Unius ex sociis Prophetae, vid. Abulfedae *Annall.* T. I. p. 375.

15) Hanc descriptionem auctor in opere majori videtur dedisse; in hac sui operis epitome omissa est.

16) מוֹאב. Cf. Abulfedae *Syr.* p. 89. et Schultensii Indic.

17) Apud Burckhardtum *Travels in Syr.* p. 377. s. p. 641. vers. teut. seqq. *Kerek.*

18) I. e. Raynald de Chatillon. Vid. Wilken *Geschichte der Kreuzzüge* P. III. p. 264. et 288. et cf. *Vit. Saladini* a Schultens. edit. p. 70. et Abulfedae *Annall.* T. IV. p. 76.

suo cum exercitu, alacri, pro more, animo descendit in pugnam cum infidelibus apud Hhittinum, ubi Deus suos amicos adjuvit, hostes vero ope destituit, et religionem Pag. 19 suam superiorem reddidit, illumque omnium regum infidelium compotem fecit. Inter illos erat princeps Arnaldus, dominus castelli Carc, cujus se Sultanus post pugnam illam potitus est. Schaubec vero per aliquod adhuc tempus in potestate infidelium mansit, usque ad illud tempus, quo Deus illius expugnationem decrevit, casu quodam mirando. Occasionem praebuit Arnaldi mater, quae, ut filius in hanc arcem se recipiendo saluti suae consuleret, eam aperuit. Fuerat vero Arnaldus jam occisus [19]). Schaubec, quod ad Carc pertinet, item est munitum [20]). Iter per praefecturam Carcensem ab el-Aale ad Zizeh viginti dierum spatio, incessu cameli, conficitur. Est regio salubri gaudens aëre [21]), oppidisque et pagis referta, atque constat pluribus praefecturis. Via ad eam est difficilis per loca praerupta, paucis aquis rigata, ut singulus quis in aliqua faucium illius constitutus equitem transitu prohibere possit. Plura sunt in hac provincia memoratu digna, quae, ne longa enarratione lectoribus taedium creem, strictim attingo. E monumentis sanctorum et locis veneratione dignis in hac pro-

---

19) Statim post pugnam apud Hhittinum, vid. quos modo laudavimus.

20) Cf. Abulfedae *Syr.* p. 88. Schultensii Ind. s. v. *Sjaubechum.* Burckhardt *Travels in Syr.* p. 416. s. p. 696. vers. teut. appellat *Schobak*, dicitque, vocari et *Kerek el-Schobak* كرك الشوبق (cum ق in fine); putatque esse veterum *Carcariam* apud Eusebium *de locis S. Script.*

21) Pro عدية, uti in apographo est, videtur عذية legendum.

vincia est oratorium Davidis (cui sit pax!) memoriae dicatum; locus Dschafari at-Tajjari, locus maxime venerandus; porro sepulchra Zeidi, Hharethae filii, Abdallae, Rawahhae filii, et Zeidi, Arkami filii, tum locus quem Imam Ali visitasse dicitur, isque est Hhareth Noomani filius, adde sepulchra Zeidi Chattabi filii, et Abdallae, Sahli filii, et omnes sunt e sociis prophetae, qui in pugna martyrii morte occubuerunt. Est quoque hic specus, e quo omni tempore lumen apparet, et oratorium Josuae filii Nun, cui sit pax! et sepulchrum Alexandri, ignoramus vero, cujusnam Alexandri; porro sepulchrum Abdallae el-Mobarcki filii, atque alia oratoria.

Eparchia *Safadensis* est ampla; dicitur mille et ducentos pagos comprehendere habetque plures praefecturas. Urbium illius maxima est Safad. Est ea in tres partes divisa[22]), habetque templa, collegia, monumenta sanctorum, loca pulchra, balnea et fora. Est in ea castellum bene munitum, cui non decem castella similia inveniuntur. Pauco abhinc tempore est expugnatum. Urbs Accah[23]) bene fuit munita; cum vero eam expugnavit Saladinus Ejubida, ejus moenia diruit; nunc est portus eparchiae Safadensis. Postquam urbem destruxisset Saladinus[24]), res omnes alicujus pretii abstulit una cum

22) Abulfeda *Tab. Syr.* p. 83. dicit: وربضها ينتشر عمارته على ثلثة اجبل *et suburbium ejus super tres montes extenditur.*

23) Hebraeis עַכּוֹ, Abulfedae *Tab. Syr.* p. 81. عكّا, Graecis *Ptolemais*, hodie *St. Jean d'Acre.* Cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 60. seqq.

24) Falsus hic est Noster. Saladinus tantum aberat, ut Ptolemaidem destrueret, ut potius, postquam eam anno DLXXXIII. aerae Mohamme-

clave urbis, quam equus portavit, ad carcerem arcis Carch, ubi illa etiamnum est; maxime admiranda, si quid aliud. Hujus eparchiae est et urbs Tyrus, nunc diruta, et urbs Ma- Pag. 20 schuca, quae nunc ita est vastata, ut pagi instar sit. Sunt in eparchia Safadensi pagi magni urbibus similes, ut Mina, Nasra (Nazareth), Maarac, et iis similia. Ad eandem eparchiam pertinere dicuntur esch - Schakif[25]) et Cabul[26]), et septem arces aliae, quae nunc dirutae jacent. Sunt in iis monumenta sanctorum et loca veneratione digna.

Eparchia ***Damascena*** est admodum amplo multos continens tractus, urbes et arces. Urbium ejus maxima, ut jam diximus, est Damascus, urbs pulcherrima, et sedes imperii, cujus velum non est retectum[27]), nisi quod hoc tempore non residet in ea princeps. Multis gaudet commodis et bonis quibus aliis urbibus antecellit. Pulchra in ea sunt templa, collegia, loca sancta, viae, fora, balnea, horti, canales,

---

danae (MCLXXXVII. Christ.) post proelium Hittinense Christianis eripuisset, muniret eique praesidia imponeret; vid. *Vit. Saladini* p. 89. Diruta est Ptolemais demum anno DCXC. a. M. (MCCXCI. a. C.), postquam illam expugnasset Malec-el-Aschraf, Sultanus Aegypti et Syriae, e dynastia Baharitarum; vid. Abulfedae *Annall.* T. V. p. 94. 98.

25) Vid. Schultens *Ind. Geograph.* s. v. *Sjakyfam*, arx validissima in vicinia Paneadis.

26) Cf. כָּבוּל, oppidum tribui Ascher assignatum, Jos. XIX, 27., et nomen tractus Galilaeae, viginti continens urbes, quas Hiramus a Salomone accepit, 1 Reg. IX, 13.

27) I. e. sarta tecta est servata, nulla insigni clade affecta; vid. de hac phrasi A. Schultens *de Defectt. hodiern. ling. Hebr.* p. 427. edit. Lugd. 1761.

et aedificia, quarum praestantiam nulla descriptio exprimere potest. Dicit quidam interpretum Corani, *Eramaeis habentibus columnas, quibus non creatum simile fuerit in regionibus*[28]), intelligi Damascum. Est in ea urbe nosocomium[29]), cui simile in toto orbe terrarum non exstat. In eo accidit lepidum[30]) quiddam, cujus commemoratio mihi delectationi est. Damascum videlicet cum adirem anno DCCCXXXI. (aer. Christ. MCDXXVII.) inter socios meos erat Persa quidam vir honestus, elegans et facetus, qui eo anno peregrinationem sacram omnesque ejus ritus secundum quatuor sectarum[31]) instituta perfecerat. Is quum ingressus nosocomium, cujus mentionem fecimus, conspexisset cibos, commoda et egregia in eo instituta, quae omnia et singula enarrari non possunt; elegit sibi illud locum, quo commoraretur. Aegrotum se simulat, et tres illic dies manet. Visitat eum protomedicus, ut de morbo certior fieret, et postquam pulsum explorasset, qualisque ejus valetudo esset cognovisset, praescripsit ei quae ejus statui convenirent, cibos puta delicatos, ova butyro condita, edulia ex melle et sacharo confecta, dulces potus, et varii generis fructus.

---

28) Sura LXXXIX, 7. 8.

29) De voce نكتة vid. quae disseruit Habicht, V. C., in Praefat. ad *Noctes* MI. Arabice a se editas T. I. p. XIII.

30) Vocem بيمارستان illustratam vide ab Hamakero in *Specim. Catalogi codd. Mss. OO. Bibl. Lugd.* p. 14. not. 44.

31) De quatuor sectis orthodoxis Mohammedanorum vid. Pocockii *Spec. Hist. Arab.* p. 25. 287. et 293. edit. sec. Adde Muradgea d'Ohsson *Descript. Imp. Turc.* P. I. p. 26. vers. teut.

Elapsis vero tribus diebus scripsit ei schedam, qua significaret, hospiti non licere ultra tres dies eo in loco commorari. Quod profecto admodum salsum et festivum erat. In nosocomio illo ignis inde a quo tempore aedificatum fuit, nullo tempore exstinctus fertur. Templum Ommeidarum est unum ex tribus mundi miraculis. Illa enim, ut in Annalibus nonnullis legi, sunt Pharus Alexandrina, templum Ommeidarum, et balnea Tiberiadis. Hippodromus viridis, et quae in eo exstant pulchra palatia maxime sunt admiranda. Qui omnia quae haec urbs rara et eximia continet describere susciperet, conatu excideret[32]). Ex ejus Pag. 21 locis sanctis et monumentis sanctorum est oratorium Hhosaini cui Deus sit propitius! oratorium el-Khedhri (i. e. Eliae) cui sit pax! sepulchrum Mohammedis, filii Abdallae, el-Hhoseini, filii Achmedis, filii Dschafaris, veracis, porro pera el-Khedhri, et Corani codex[33]) Othmano, cui Deus sit propitius! probatus[34]). Est quoque Damasci turris illa,

---

32) Quae jam sequuntur p. 21. lin. 1. textus Arabici, ab الجبهة usque ad العتابة, lin. 3., nomina haud dubie locorum et aedificiorum Damasci, nobis obscura esse necesse est, quum illorum situm et conditionem ignoremus. Nolui igitur lectori in versione voces sensu expertes obtrudere, veluti *frons*, *amans et amatus*, *inter utrumque fluvium*, *infra domum ligneam*, rel. De uno ربوة *Robwa* constat ex Abulfeda *Tab. Syr.* p. 101., esse illud e locis amoenis Damasci, specum ad introitum vallis ejus occidentalis, ubi aquae sese dividunt.

33) De المصحف κατ᾽ ἐξοχὴν Coranum significante vid. Reiskii not. ad *Abulfedae Annall.* T. I. p. 270. not. *i*.

34) Intelligitur illud Corani exemplar, quod Abi-Becri tempore exaratum, et apud Hafsam, prophetae uxorem, depositum erat, cujus textum,

in qua Imamus el-Gazali [35]) stetit, et super quam Jesus, Mariae filius, cui sit pax! descendisse fertur, nec non sepulchrum Nureddini Machmud Zenki filii [36]), et sepulchrum Salahheddini Josephi, Jobi filii [37]), tum sepulchrum Beladhi, Hhamamathae filii, sepulchrum trium ex prophetae uxoribus, quibus Deus faveat! sepulchrum Abi 'l-Dardae ejusque matris, sepulchrum Fodhaleth, filii Obeidi, sepulchrum Sahli, el-Hhatlatae filii, sepulchrum Hhawatelatae, filii el-Asfae, sepulchrum Ausi, Thakefitae, sepulchrum el-Hhassani, Hhamzae filii, sepulchrum Alii, Abdollae filii, filii el-Abbasi una cum fratris sui sepulchro, sepulchrum Khadidschae, filiae Zain-el-ajidini, sepulchrum Alexandri filii el-Hhassani. Damasci fertur et Habelis sepulchrum esse. Est ibidem et spelunca famis, in qua quadraginta cellas esse dicunt; suntque ibi aliae speluncae centum triginta sex. Urbem perfluunt septem fluvii, qui juncti instar Nili essent. Longum foret, de fructibus recentibus, herbis fragrantibus

---

Othmanus Chalifa in omnibus Corani codicibus retineri jussit, ceteris omnibus codicibus, qui tum exstabant, combussis. Vid. ABULFEDAE *Annall.* T. I. p. 264.

35) Celeberrimi Mohammedanorum theologi, de quo vid. HERBELOT *Biblioth. Orient.* s. v. *Gazali*, et ABULFEDAE *Annall.* T. III. p. 374.

36) Aegypti et Syriae domini, inde ab a. 1149 aerae Christ. vid. ABULFEDAE *Annall.* T. III. p. 501. seqq. et HERBELOT s. v. *Nureddin*.

37) Item Aegypti et Syriae domini, inde ab anno 1171 nostrae aerae, celeberrimi et inter nos principis, per scriptores de expeditionibus cruciatis, vulgo *Saladinus*. Vitam ejus a *Bohaeddino* descriptam edidit Arabice et Latine A. SCHULTENS, Lugd. Batav. 1732. Vid. et HERBELOT s. v. *Salaheddin*, et ABULFEDAE *Annall.* T. III. p. 621.

et varia supellectile, quae in haec urbe exstant, referre. Nix ad eam e montibus aestate et hyeme nullo temporis puncto intermisso defertur, bibuntque illam omnes urbis incolae, deferturque de illa ad principem quoque atque ad proceres regni nobiles. Ex eparchiae Damascenae praefecturis est Ramla, uti supra diximus, item urbs Baisan[38]). Salt urbs est elegans cum arce, estque ei suae ditionis ager[39]). Damascena est praefectura. Chesban[40]) urbs arcem dirutam habet. Ad eparchiae Damascenae provincias pertinet el-Belka[41]). Continet plus quam tercentos pagos in regione plana, est quoque una ex praefecturis Damascenis. Sarchad[42]) urbs est mirabilis ob difficilem aditum, habet arcem munitam. Est urbs elegans; seritur in ejus agro oryza, quae ad Damascum aliaque loca devehitur. Habet Pag. 22 suae ditionis agrum, cujus pars Chaula nomine insignitur.

---

38) Vid. supra p. 3. not. 8.

39) Plura de hoc oppido refert Abulfeda *Tab. Syr.* p. 92. Invisit illud et descripsit Burckhardt *Travels in Syria* p. 349., s. p. 601. seqq. vers. teuton.

40) Hebraeis חֶשְׁבּוֹן, Emoraeorum quondam sedes regia, Num. XXI, 26. seqq. Ejus ruinas vidit Burckhardt, vid. l. l. 365., s. p. 623. vers. teuton. Cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 266.

41) Vid. de hac regione Burckhardt l. l. p. 368., s. p. 628. vers. teuton. Cf. libr. nostr. in nota super. memorat. Vol. II. P. I. p. 129.

42) Dicitur haec urbs et صلخد, vid. Abilfedae *Tab. Syr.* p. 105., A. Schultens *Ind. Geograph. ad Vit. Salad.* s. v. *Sarchadum*, et Burckhardt p. 101. sqq. s. p. 180. 507. vers. teuton. Hebraeis dicebatur סַלְכָה Deut. III, 10. Jos. XII, 6. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 284.

Continet plus quam ducentos pagos. Est et haec praefecturarum Damascenarum una. Hhauran[43]) in plures provincias divisa dicitur. Vulgaris est fama, comprehendere eam plus quam mille pagos. Praeter urbem el-Ladscha[44]) sunt in ea oppida plura minora dispersa. Est et haec praefecturarum Damascenarum una. Tractus el-Ghutah, qui itidem est Damascena praefectura, plus quam tercentos pagos continere fertur, et plura oppida minora atque pagos oppidis similes. Tractus Naran, qui et ipse est Damascena praefectura, admirabilis est ob multa salebrosa loca. Continet plura oppida, et uti fertur, plus quam sexaginta supra centum pagos. As-Sabdani accedit ad urbis magnitudinem, estque ei tractus plus quam quinquaginta pagorum, suntque in eo multi rivi. Haec quoque Damascena est praefectura, uti Carcanudsch, quae pulchra est urbs. Ex Damascenis praefecturis est et Wadi et-Taim, cujus tractus, qui a torrente Taim est denominatus, sexaginta supra tercentos pagos continet[45]). Sowaidia[46]), urbs olim magna, sed quae

---

43) Hebraeis חַוְרָן, Ezech. XLVII, 16. 18., Graecis *Αὐρανῖτις*, Cf. A. Schultens *Ind. Geogr.* s. v. *Hauran*, Abulfedae Syr. p. 106. Plura memoratu digna de hac regione retulit Burckhardt p. 285. 291. seqq. s. p. 416. vers. teut. Vid. et *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 8.

44) Hodie ita vocatur tractus regionis Hauran, vid. Burckhardt p. 59. 61. 112. seqq. s. p. 121. 126. 195. seqq. vers. teut.

45) Urbis التَيْم *et-Teijm*, forsan antiquae *Kirjathaim*, ruinas haud longe a Medeba occidentem versus, invisit Burckhardt l. l. p. 367. s. p. 626. vers. teuton. Cf. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 268.

46) Videtur eadem urbs esse, quae in Lexico Geographico, referente Schultensio in Ind. ad Vit. Salad. s. v. *Sowaidaa*, سُوَيْدَاء dicitur,

nunc ruinâ collapsa est; ejus tractus plus quam ducentos pagos continet. Est et haec Damascena praefectura. Baalbek est urbs pulchra. Sunt in ea columnae, quae Salomonis, cui sit pax! jussu exstructae dicuntur. Continentur hac urbe templa majora, scholae, loca sua sanctitate veneranda, fora, thermae, horti, fluvii, et alia, quae enarrare longum foret. Ager urbis est pulcher, continetque tercentos et sexaginta pagos. Et haec est praefectura Damascena. Hhems est urbs pulchra; habet murum et arcem. Jacet, uti fertur, in ea urbs supra aliam, quod sane admirandum quod. Est in ea sepulchrum Chaledi, el-Validi filii[47]), cui Deus propitius sit! Tractus Bosrae, item praefectura Damascena, comprehendit multos pagos. Saida (Sidon), portus Damasci, est urbs egregia, ad litus Oceani, ad eam naves appellant. Ager urbis, item praefectura Damascena, continet plus quam ducentos pagos. Portus est et Bairut, praefectura Damascena, cujus ager multos pagos continet.

Eparchia *Tripolitana* est praestans. Urbs ejus maxima Pag. 23 est Tripolis; est pulchra habetque templa, scholas, balnea, et pulchra aedificia. Sita est in litore Oceani. Sehjun[48])

قرية من قرى حوران من عمل دمشق *vicus Hauranitidis, ex praefecturis Damascenis.* Addit, aliam ejusdem nominis urbem sitam esse in Mesopotamia, Carris vicinam.

47) Vid. de hoc viro, ex eorum munero, qui vivo Mohammeds ejus doctrinam amplexi sunt, ABULFEDAE *Annall.* T. I. p. 143. et Reiskii Annotatt. historr. p. 54. nec non HERBELOT *Bibl. Orient.* s. v. *Khaled Ben Valid.*

48) Vid. A. SCHULTENS *Ind. Geogr.* s. v. *Sehjun*, et ABULFEDAE *Tab. Syr.* p. 122.

est urbs egregia, cum arce bene munita. Habet agrum suum seorsum cum multis pagis; estque praefectura Tripolitana. Arx el-Merkab [49]) est bene munita, estque ei praefectura multis cum pagis. Praefecturis Tripolitanis accensetur. Arx el-Acrad [50]) est aditu difficilis, eique est praefectura multis cum pagis; item praefectura Tripolitana. Kadmus est arx munita, estque ei praefectura cum nonnullis pagis. Et haec est praefectura Tripolitana. Ladikia [51]) (Laodicea) est urbs satis ampla, sed ruina collapsa, Oceano propinqua; estque ei praefectura, in qua multi sunt pagi; praefectura Tripolitana. Dschiblah est urbs elegans; estque in ea sepulchrum Ibrahimi, Adhami filii [52]). Est ei praefectura, quae ad Tripolitanas praefecturas pertinet. Arca [53]) est Tripolitanae eparchiae [54]), habetque portum. Acca [55]) castellum bene munitum, item Tripolitanae eparchiae, sed

---

49) Cf. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 106. et ibid. Koehleri not. 144.

50) Cf. Abulfedam l. l. p. 102. Golium ad *Alfergan.* p. 284. et A. Schultens *Indic.* s. v. *Curdorum castrum.*

51) Vid. Abulfedam l. l. p. 112.

52) Vid. de hoc viro Abulfedae *Annall.* T. II. p. 42. et Reiskii not. 44., et cf. Herbelot *Bibl. Or.* s. v. *Adhem.* Ceterum de urbe Dschiblah vid. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 109. et Schultens *Indic.* s. v. *Sjibla.*

53) Vid. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 11. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 10.

54) وهى من توابع طرابلس ad verbum: *estque ex annexis Tripolis.* De توابع vid. Meninskii *Lexic.* s. v.

55) Vid. Abulfedam l. l. p. 81. et *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 60.

praefecturam habens nullam. El-Cahf[56]) est locus validus, eparchiae Tripolitanae, quod ipsum de Rawaka valet. Tripolitana eparchia una cum iis quae ei annexa sunt, fere tres mille pagos comprehendere dicitur.

Eparchia *Hhamatensis* est ampla, continetque urbes, arces et pagos. Urbs ejus maxima est *Hhamath*[57]), admodum pulchra; muro firmo cum pluribus turribus cincta, habetque arcem, quam Timurlenc vastavit. Ambit eam el-Aasi fluvius[58]) in quo multae machinae aquariae. Sunt in hac urbe plura vitae oblectamina, et continentur eâ templa, scholae, oratoria, loca et Sanctorum monumenta, quae visitari solent, quae longum est recensere. Salamia est Hhamatensis eparchiae praefectura, multos continens pagos. Sunt in hac urbe septem illa palatia excelsa[59]), sub quibus sepulchra sectatorum prophetae[60]) esse dicuntur. Est quoque in ea urbe sepulchrum Noomani Baschiri filii[61]), socii

56) كَهْف *Speluncam* denotare constat. Estne forsan inexpugnabilis illa spelunca, in territorio Sidoniensi sita, de qua loquitur Guilielmus Tyrius in *Hist. Hierosol.* L. XIX. Cap. 2., Hebraeis מְעָרָה Jos. XIII, 42.? vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 39.

57) Vid. de hac urbe Abulfedae *Tab. Syr.* p. 108., et cf. Schultens Index ad Vit. Salad. s. v. *Hamata*, atque *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 248.

58) Graecis *Orontes*, vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 248.

59) Nomen محاريب Dsjelaleddin ad Corani Sur. XXXIV, 13. apud Marraccium explicat ابنية مرتفعة يصعد اليها بدرج *aedificia sublimia, ad quae per gradus ascenditur.*

60) التابعون *Sectatores* vocantur κατ᾽ ἐξοχὴν illi, qui vivo quidem Mohammede ejus doctrinam amplexi sunt, sed eum nec coram viderunt, nec cum eo sunt versati. Vid. *la Vie de Mahomet par* Gagnier T. II. p. 340.

61) Vid. de hoc viro Abulfedae *Annall.* T. I. p. 77. 385. 393. 405. 407. et Adnotatt. historr. p. 89.

prophetae, cui Deus sit propitius! Erat is largus, beneficus, liberalis. Ejus munificentiae specimen est illud, quod Pag. 24 quum Hamadensis quidam, ex divite pauper factus eum adiret, ipse, cognito suo statu, suggestum ascendit, et ad coetum haec verba fecit: „vir quidam, qui domos possedit nunc est ad paupertatem redactus; adjuvet eum vestrum quisque; nos singuli ei aliquid demus; quisque aureum donet; equidem ei pecuniae summam quandam e fisco statim numerabo, quam mihi restituetis.“ Tum, computatione facta, dedit ei e fisco decem mille aureos. Ille hosce Versus fudit*):

Haud vidi ad necessitates sublevandas rogatum parem Noomano,
Noomano, inquam, munifico, Baschiri filio,
Cum promissis stetit; nec erat instar hominum mendacium, inani spe lactantium**).

---

*) Versum horum metrum est طويل *longum*, et ea quidem illius species, quae pedem octavum habet Bacchium, et pedem septimum plerumque Amphibrachyn, aut Bacchium quoque. Ejus specimen Clericus in *Prosod. Arab.* p. 30. dedit hoc:

أَقِيمُوا بَنِى ٱلنُّعْمَانِ عَنَّا صُدُورَكُمْ

وَإِلَّا تَقِيمُوا صاغِرِينَ ٱلرُّؤُسَا

Pedes ita metiri docet:

أَقِيمُوا بَنِينُّنْعْمَا نِعَنْنَا صُدُورَكُمْ

فعولن مفاعيلن فعولن مفاعلن

وَإِلْــلَا تَقِيمُوصَا غِرِينَرْ رُؤُسَا

فعولن مفاعيلن فعولن فعولن

Plura de hoc metro ejusque variationibus disseruimus ad *Zohairi Moallacah* a nobis edit. p. XVII. seqq.

**) Pro حبل, ut in cod. est videtur خَيْلَى *mendacium*, *vana arrogantia*, ponendum, metro ita flagitante. Ante illud vero كاقوام mente repetendum.

Nisi frater Adjutorum[62]) exstitisset, equidem forem tanquam iter
faciens, quem nullum excipit hospitium, inops exagitatus*).
Quodsi bene factorem non agnoscerem Noomanum, essem ingratus,
ingrato vero nil inest boni.

Fadaria est arx difficilis aditu, eique est praefectura, Hhamatensis eparchiae, multos pagos continens. Maarra urbs[63]) cui nomen *palatiis instructae* inditum, est etiamnum elegans, habetque praefecturam Hhamatensis eparchiae cum multis pagis. In ea est sepulchrum Mohammedis, filii Abdallae, unius ex sociis prophetae et monasterium Omari, Abd - ol - Azizi filii[64]) quibus Deus propitius sit! Masiata est urbs decora, et praefectura Hhamatensis eparchiae[65]).

Eparchia *Hhalebensis* est admodum ampla, complectiturque multas urbes, arces, praefecturas et pagos. Illius urbs maxima est Hhaleb, salubri gaudens aëre. Instructa est muro firmo arceque munita. Sunt in hac urbe templa,

62) *Adjutores* scil. prophetae, vocantur Medinenses illi, qui Mohammedem Meccâ profugum receperunt et juvarunt. Eorum *frater* Noomanus dici videtur ideo, quod ipse primus infans fuisset, qui post prophetae adventum Adjutoribus s. Ansariis illis natus esset. Vid. Abulfedae *Annall.* T. I. p. 76.

*) Hemistichium posterius ita videtur legendum:

ثوى ما يَثْوِى يَنْقَلِبْ بِنَقِيرٍ

Futurum apocopatum metri causa ex licentia poetica positum.

63) Vid. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 111. et Schultensii *Ind. Geogr.* s. v. *Maarrah.*

64) Intelligit monasterium illud, in quo Omarus, Chalifa post Mohammedem secundus, et mortuus, et sepultus est; vid. Abulfedae *Annall.* T. I. p. 440.

65) Vid. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 20. et Schultensii *Ind. geograph.* s. v. *Masjata.* Sed in Abulfeda Koehlerus male edidit مصياف *Masjaf* pro مصيات, uti recte edidit Schultens l. l., ubi Abulfedae locum excerpsit. Quae scriptura nostro auctore confirmatur.

scholae, oratoria, Sanctorum quae visitari solent monumenta, pulchra aedificia, fora et balnea, quae omnia describere longum foret. Est ea sedes regia. Antakia (Antiochia) est urbs satis magna, estque in ea sepulchrum Pag. 25 Hhabibi an-Nadschari. In ejus agro multi sunt pagi, estque Hhalebensis praefecturae. Dschabar[66]) est urbs egregia, cui est arx munita et ager, in quo multi sunt pagi. Est et haec eparchiae Hhalebensis praefectura. Rahhaba[67]) est urbs elegans cum arce et agro, qui multos pagos continet, item Hhalebensis eparchiae praefectura. Saidschar[68]) est urbs decora, in qua arx munita; habet agrum cum multis pagis, estque eparchiae Hhalebensis praefectura. Sarmin[69]) est urbs pulchra cum arce munita et agro, qui multos pagos continet; item eparchiae Hhalebensis praefectura. Tractus el-Bab[70]) et el-Berrah, item praefectura Halebensis, est amplus, suntque in eo multi pagi. Tractus Calis[71]) et Azaz et ipse est amplus, et praefectura Hhalebensis. Sitae sunt in

---

66) Plura de hac urbe vid. apud Schultensium l. l. s. v. *Sjabarum.* Abulfeda illam tractui *Diarbecr* accenset in *Tabula Mesopotam.* a nobis Arabice edita in *Repertorio Literat. bibl. et Orient.* ab H. E. G. Paulo ed. T. III. p. XIV.

67) Et hanc urbem Abulfeda inter Mesopotamiae urbes recenset, vid. l. l. p. XXI. et cf. Schultens *Indic.* s. v. *Rahaba.*

68) Videtur eadem urbs esse quam Ives in descriptione itineris a Bir urbe ad Hhalebum facti *Sajuera* vocat in *Itinerar.* P. II. p. 247. vers. teuton. Cf. Büsching's *Erdbeschreib. von Asien* p. 301. edit. tert.

69) Vid. Schultens *Ind.* s. v. *Sarmania,* et Abulfedae *Tab. Syr.* p. 115.

70) Vicum magnum esse ad montis cujusdam pedes ait Balbi, Büschingio memoratus *Erdbeschreib.* l. l. p. 305.

71) Apud Niebuhrium *Reisebeschreib.* T. II. p. 414. كلس *Klis.* Urbem sat populosam esse ait.

eo duae illae urbes, quae vero nunc pagi vocantur. El-Amk[72]) nulli praefecturae accensetur, sed est tractus amplus, in quo pagi nonnulli sunt. Dschadidat, eparchiae Hhalebensis praefectura, multos continet pagos; incolis praevaluerunt Arabes. Urbs Dschadidat est pulchra; habet arcem, et agrum, in quo multi sunt pagi. Ajas urbs[73]) est decora; habet arcem dirutam; sed eam instauratam esse dicunt. Habet agrum cum pagis; estque praefectura Hhalebensis. Sis[74]) urbs est egregia cum arce munita, estque ei ager cum multis pagis, in quibus Christiani praevaluerunt. Est eparchiae Hhalebensis. Tumuc est urbs bene munita muro cum arce egregia; estque ei praefectura multos continens pagos haud longe a mari sitos. Est et ipsa Hhalebensis eparchiae. Sin[75]) urbs est decora cum agro, qui pagos nonnullos habet, Hhalebensis eparchiae. Adana[76]) urbs est egregia, item Hhalebensis eparchiae, cum agro in quo sunt pagi. Tractus Ramadhanensis[77]) et Aurariensis, item Hhalebensis eparchiae, est amplus, suntque in eo urbes. Caesarea[78]) urbs est egregia, muro cincta; habet arcem agrumque cum

---

72) Vid. SCHULTENS *Ind.* s. v. *Alamk.*

73) De ea urbe habet plura ABULFEDAE *Tab. Syr.* p. 132.

74) Vid. ABULFEDAE *Tab. Syr.* p 138.

75) Vid. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 12.

76) Cf. BÜSCHING's *Erdbeschreib. von Asien* p. 123.

77) Est hic tractus urbi Adana vicinus, Taurum montem versus. Plenum ejus nomen Turcicum est, teste BÜSCHINGIO l. l. p. 121., *Ramadan-ugla-Yaïlakleri* [Yaïawleri], i. e. رمضان اوغل يايلوری, *filii Ramadhani domus aestivae.*

78) Intellige *Caesaream Syriae*, sive *Palaestinae*, ut dignoscatur a *Caesarea Rumaeorum*; vid. SCHULTENSII *Ind.* s. v. *Caesarea*, et ABULFEDAE *Tab. Syr.* p. 80. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 326.

pagis. Est et haec Hhalebensis eparchiae. Aintab[79]) est urbs pulchra, culta et bene habitata. Habet arcem munitam, estque una ex pulcherrimis urbibus. In ejus agro sunt multi pagi, Hhalebensis ditionis. De urbe Schach[80]) dissentiunt; est praefectura Hhalebensis. Kalat-el-Moslemin (i. e. arx Muslimorum) est urbs decora, habetque arcem valde munitam. Ager ejus, pagis frequens, est ad Schatt-el-Arab[81]). Et haec est eparchiae Hhalebensis praefectura. Bira pulchra est urbs, cum arce forti et decora. Sita est urbs ad Euphratem, estque hic pons navibus impositus, quo equites Euphratem fluvium trajiciunt[82]). In agro ejus sunt multi pagi, estque Hhalebensis eparchiae. Er-Roha[83]) magna est urbs, muro cincta, sed nunc ruinosa. Est in ea arx munita. Incolae ejus sunt Diarbecrenses. Estque in ea fons prophetae, quae Abrahamo, cui sit pax! scaturivit[84]). Ager ejus, pagis frequens, una cum urbe est Hhalebensis eparchiae. Carcar[85]), urbs bella, sed loco salebroso sita, ad Euphratem, arce bene munita instructa, quae paucas sibi similes habet. In ejus praefectura praeter multos pagos est Hharus

Pag. 26

79) Vid. ABULFEDAE *Tab. Syr.* p. 21. et SCHULTENS *Ind.* s. v. *Ainotabum.*

